AUTHOR:

HAAS, P. LEANDER

TITLE:

DE PHILOSOPHORUM SCEPTICORUM ...

PLACE:

WIRCEBURGI

DATE:

1875

Master Negative #
91-80262-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG91-B71172          Acquisitions      NYCG-AE
FIN PN HAAS, P. LEANDER - Cluster 1 of 1 - Record added today
+
  ID:NYCG91-B71172    RTYP:a    ST:p    FRN:     MS:        EL:u       AD:08-06-91
  CC:9667  BLT:am     DCF:      CSC:d   MOD:     SNR:       ATC:       UD:08-06-91
  CP:nyu     L:lat    INT:      GPC:    BIO:     FIC:0      CON:
  PC:r     PD:1991/1875         REP:a   CPI:0    FSI:0      ILC:       MEI:0   II:1
  MMD:d      OR:?   POL:b     DM:d    RR:d???    COL:b      EML:a      GEN:c  BSE:a
  040      NNC‡cNNC
  100 10   Haas, P. Leander.
  245 10   De philosophorum scepticorum successionibus eorumque usque ad Sextum E
         mpiricum scriptis‡h[microform].
  260 0    Wirceburgi,‡bIn Aedibus A. Stuberi,‡c1875.
  300      92 p.
  500      On reel 81 beginning frame no. 313.
  502      Dissertation--W_urzburg.
  533      Microfilm (negative).‡bCincinnati, Ohio:‡cAssured Micro-Services,‡d198
         3.‡e1 reel; 16 mm.‡f(University of Cincinnati dissertations, Programmsch
         riften, and pamphlets in classical studies. no. 3319)
  LDG      RLIN
  QD       08-06-91
```

Restrictions on Use.

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 9/9/91 INITIALS RK

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

PHILOSOPHORUM SCEPTICORUM SUCCESSIONIBUS

EORUMQUE USQUE AD SEXTUM EMPIRICUM SCRIPTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SRIPSIT

P. LEANDER HAAS, O. S. B.
DOCTOR THEOLOGIAE.

WIRCEBURGI.
IN AEDIBUS A. STUBERI.
MDCCCLXXV.

AUGUSTAE VINDELICORUM, TYPIS PH. J. PFEIFFERI.

LUDOVICO URLICHS

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Philosophorum Scepticorum sive Pyrrhoniorum omnium, quorum aetas sex saeculorum spatio (a medio saeculo quarto a. Chr. n. usque ad medium saeculum tertium p. Chr. n.) continetur, nullius ne unus quidem liber usque ad nostram memoriam est conservatus praeter libros tres Sexti, qui dicitur Empiricus. Reliquorum autem libri vel temporum injuria vel incuria hominum ita interciderunt, ut plurimorum vix plus quam inscriptionem, quorumdam ne eam quidem noverimus. Diogenes quidem Laërtius quaedam nobis servavit librorum de vitis, decretis et sententiis philosophorum clarorum IX., Eusebius Pamphili Praeparationis Evangelicae libro XIV, c. 18 ex Aristoclis Messanii libro de philosophia, Aulus Gellius Noctium Atticarum libro XI, c. 5, Photius Patriarcha in Bibliotheca, cod. 212 ex Aenesidemi Pyrrhoniarum rationum libris octo, Suidas in Lexico pluribus locis, qui fere omnes referendi sunt ad Diogenis Laërtii librum [1]). Quae cum interdum sint confusa et admodum exigua, qui sinceram philosophorum Scepticorum doctrinam vult cognoscere, unde eam percipiat non habet nisi ex Sexti Empirici libris. Quum vero hortatu illustrissimi atque humanissimi viri ac Domini L. Urlichsii ad ea, quae de Sexto Empirico ipso adhuc non satis sunt explorata, perquirenda atque illustranda aggrederemur, ut scilicet quo fuisset tempore circumscriberemus,

[1]) Nonnulla Scepticorum antiquiorum placita exhibet quoque Galenus in libro de optima doctrina (Edit. Kühn. Vol. I, p. 40—52), quae tamen magis ad Academiam mediam pertinere videntur.

erueremus qua patria natus quibus locis commoratus esset, quibus studiis ac vitae rationibus usus esset explicaremus, quos scripsisset libros quique eorum intercidissent statueremus, disquireremus a quibus penderet auctoribus, demonstraremus quantum profecisset in Sceptica doctrina augenda atque amplificanda — earum rerum, quae spectant ad philosophos Scepticos, tantam deprehendimus obscuritatem, ut neque eorum numerum accurate circumscriptum neque tempus quo fuerint singuli satis exploratum atque stabilitum inveniremus. Itaque ne videamur exstruere aedificium omisso fundamento, hoc primum nobis faciendum est, ut quoad ejus fieri potest, de philosophorum Scriptorum successionibus disseramus. Qua in re a proposito nostro alienum esse non putamus, uniuscujusque quos scripserit libros enumerare, ut qui ante Sextum Empiricum universus fuerit Scepticae doctrinae status, in promptu sit cognoscere.

Cap. I.

Atque successionis seriem philosophorum Scepticorum unus nobis exhibet Diogenes Laërtius (IX, 68. 69. 115. 116): Τούτου (sc. Πύῤῥωνος) πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ μαθηταὶ γεγόνασιν ἐλλόγιμοι, ὧν Εὐρύλοχος . . . 69: ὁ δὲ Φίλων τὰ πλεῖστα διελέγετο . . . . πρὸς τούτοις διήκουε τοῦ Πύῤῥωνος Ἑκαταῖός τε ὁ Ἀβδηρίτης καὶ Τίμων ὁ Φλιάσιος ὁ τοὺς σίλλους πεποιηκώς, περὶ οὗ λέξομεν· ἔτι τε Ναυσιφάνης Τήϊος, οὗ φασί τινες ἀκοῦσαι Ἐπίκουρον . . . . 115: Τούτου (sc. Τίμωνος) διάδοχος (ὡς μὲν Μηνόδοτός φησι) γέγονεν οὐδείς· ἀλλὰ διέλιπεν ἡ ἀγωγή, ἕως αὐτὴν Πτολεμαῖος ὁ Κυρηναῖος ἀνεκτήσατο. ὡς δὲ Ἱππόβοτός φησι καὶ Σωτίων, διήκουσαν αὐτοῦ Διοσκουρίδης Κύπριος καὶ Νικόλοχος Ῥόδιος καὶ Εὐφράνωρ Σελευκεὺς Πραΰλος (Πραΰλους Cobet.) τε ἀπὸ Τρῳάδος . . . . 116: Εὐφράνορος δὲ διήκουσεν Εὔβουλος Ἀλεξανδρεύς, οὗ Πτολεμαῖος, οὗ Σαρπηδὼν καὶ Ἡρακλείδης. Ἡρακλείδου δὲ Αἰνησίδημος Κνώσσιος, ὃς καὶ Πυῤῥωνείων

λόγων ὀκτὼ συνέγραψε βιβλία· οὗ Ζεύξιππος ὁ Πολίτης, οὗ Ζεῦξις ὁ γωνιόπους, οὗ Ἀντίοχος (var. lect. Ἀντίγονος, Ἀντίλοχος) Λαοδικεὺς ἀπὸ Λύκου. τούτου δὲ Μηνόδοτος ὁ Νικομηδεύς, ἰατρὸς ἐμπειρικός, καὶ Θειώδας Λαοδικεύς· Μηνοδότου δὲ Ἡρόδοτος Ἀριέως Ταρσεύς· Ἡροδότου δὲ διήκουσε Σέξτος ὁ ἐμπειρικός, οὗ καὶ τὰ δέκα τῶν σκεπτικῶν καὶ ἄλλα κάλλιστα. Σέξτου δὲ διήκουσε Σατορνῖνος ὁ Κυθηνᾶς, ἐμπειρικὸς καὶ αὐτός.

Hanc seriem si diligentius inspexerimus, duo nobis occurrent consideranda: Ac primum quidem nullum exstat indicium, quo adducamur, ut noluisse Diogenem putemus tradere seriem philosophorum Scepticorum *integram* atque *continuam*. Immo illud ipsum, quod Menodoti fidei fidem Hippoboti et Sotionis opposuit, satis declarat, *voluisse* eum exhibere seriem philosophorum Scepticorum *successionis integram neque* post ipsum Timonem Phliasium neque alio tempore *interruptam*. Quod si res eo redierit, ut aut Diogenis seriem non esse integram aut defecisse aliquando Scepticorum successionem dicendum sit, hac in re Diogeni fides non erit habenda, nisi quae refert, ea documentis aliunde petitis fuerint comprobata. Deinde illud quoque probe est attendendum, quorum nomina exstant in hac Pyrrhoniorum serie, eos *non omnes tenuisse scholae principatum*. Atque Eurylochum Philonem Hecataeum Nausiphanem audivisse quidem Pyrrhonem, non eosdem illius successores fuisse, Diogenes ipse testatur. Timonem enim Phliasium et Pyrrhonem ipsum audivisse ejusque doctrinam solum et litteris mandasse et aliis tradidisse, operam perderemus, si vellemus demonstrare, cum jam Diogenes aperte hoc indicet atque Sextus Empiricus Timonem „προφήτην τῶν Πύῤῥωνος λόγων“ appellet.[1]) Quos

---

[1]) Adv. Grammat. 53. In locis Sexti Emp. citandis sequemur editionem Im. Bekkeri, Berol. 1842, quae in libris denominandis non differt ab editione Jo. Alb. Fabricii emendatiore, Lips. 1841.

vero discipulos Timonis fuisse dicunt Sotion et Hippobotus apud Diogenem, eorum non unum excepisse alterum, sed una Timonem eos audivisse atque solum Euphranorem doctrinam Scepticam Eubulo tradidisse, ipsa temporum ratione ut sentiamus compellimur. Cum enim Sotion circa annum centesimum nonagesimum a. Chr. n. fuerit, Timonis aetas anno ducentesimo tricesimo quinto a. Chr. n. terminetur[1]), inter Timonis et Sotionis aetatem non plus quam quadraginta quinque anni sunt elapsi. Si quis ergo quadraginta quinque annorum spatio quattuor[2]) deinceps successores se excepisse statuendum putaverit, unumquemque per undenos annos scholae principatum tenuisse erit dicendum, id quod vix quisquam sibi persuaserit. Huc accedit, quod satis dilucide apud Diogenem a Sotione et Hippoboto Dioscurides Nicolochus Euphranor Praylus Timonem ipsum audivisse traduntur, atque quod imprimis est considerandum, Eubulus non Prayli, qui extremus ponitur, sed Euphranoris dicitur discipulus. Quare non recte sentit Jacobus Bruckerus[3]), qui per illos privatam successionem usque ad Sextum Empiricum statui posse concedit Huetio, neque Henricus Ritterus[4]), qui Hippobotum et Sotionem existimat voluisse exhibere successorum seriem usque ad Ptolemaeum. In maximum vero errorem incidit L. Prellerus[5]), qui eos Scepticorum seriem ab Aenesidemo usque Sextum produxisse videtur praesumere, id quod nullo pacto fieri potuit, quippe cum Sotion annis circiter quadraginta fuerit ante Ptole-

---

[1]) vid. infra c. XX.

[2]) Mentio Eubuli num ipsa sit referenda ad Sotionem (id quod sentit Zellerus, de Graecorum philos., vol. IV, pag. 441, adn. 2 et vol. V, pag. 2, adn. 1), ex Diogene ipso non satis liquet. De Hippoboti vero aetate nihil certi exploratum est.

[3]) Hist. crit. philos. part. II, lib. II, c. 24, §. 7. (Tom. I).

[4]) Histor. philosoph. Tom. IV, pag. 282.

[5]) Hist. phil. gr. et rom. pag. 453. (ed. IV).

maeum[1]). Quae cum ita sint, hoc erit statuendum, quotiescunque Diogenes duos vel plures unum audivisse magistrum tradit, eorum non quemque, sed unum tantum scholae praefuisse atque in successorum numero esse referendum. Itaque Ptolemaeum excepit Heraclides, non item Sarpedon[2]), Heraclidem Aenesidemus, et Antiochum Menodotus, cui non Theodas fuit successor[3]), sed id quod exhibet ipse Diogenes, Herodotus Tarsensis, quare Theodam nunquam tenuisse scholae principatum dicendum est[4]).

Cap. II.

Jam vero hoc nobis est quaerendum, num integra sit illa philosophorum Scepticorum series aut continua fuerit ipsorum successio. Quod tum firmiter statuere poterimus, cum quando fuerit primus Scepticorum, Pyrrho, et Sextus Empiricus, qui inter extremos recensetur, demonstraverimus. In ea enim serie licet plurima sint admodum obscura, optima tamen fortuna factum est, ut ea, quae nobis servaverunt antiquarum rerum auctores, sufficiant ad explorandam atque definiendam et Pyrrhonis et Sexti Empirici aetatem.

Atque quo tempore fuerit Pyrrho, ex Suidae testimonio certo non constat[5]), quamobrem alia antiquitatis documenta

---

[1]) vi . infra c. VII.

[2]) Nisi quis hic dicendum putet, Sarpedonem, quia in ordine seriei praecedat Heraclidem, excepisse Ptolemaeum, et Heraclidem successorem fuisse Sarpedoni, id quod vix licet concedere.

[3]) Contrarium sentiendum putat Zellerus l. c. V, pag. 7, adn. 1, qui hac in re ipsum secum dissidere non animadvertit. cf. l. c. V. pag. 2, adn. 1.

[4]) cf. Zeller. l. c. V, pag. 5, adn. 3, (ubi aperte Theodas scholae praefuisse dicitur).

[5]) Suidas verb. *Πύῤῥων* haec exhibet: *Πύῤῥων, Πλειστάρχου, Ἠλεῖος, φιλόσοφος, ὃς ἦν ἐπὶ Φιλίππου τοῦ Μακεδόνος κατὰ τὴν ρια´* (Küst. Bernh.; al: *ρα´*) *ὀλυμπιάδα καὶ ἐπέκεινα.* Eudocia et omnes

sunt requirenda. Et Diogenes quidem Laërtius (IX, 61) nobis tradit, illum arte pingendi, quam exercuerat, relicta primum audivisse Drysonem, deinde se applicuisse ad Anaxarchum eique semper adhaesisse atque adiisse Indiae Gymnosophistas et Magos [1], Sextus autem Empiricus refert [2], eum carmine in Alexandrum, Macedoniae regem, composito decem millia aureorum dono accepisse. Quod si consideraverimus, Pyrrhonem, priusquam se applicuerit ad Anaxarchum, artem pingendi exercuisse [3]) atque ea relicta primum Drysonem adiisse, ipsum anno trecentesimo vicesimo septimo plus quam triginta annos natum fuisse erit statuendum.

---

editiones Suidae ante Küsteri editionem exhibent *ρά*, Küsterus et Bernhardius receperunt *ριά*, quod legitur in MSS. Pariss. Quod si retinendam putes lectionem *κατὰ τὴν ρά ὀλυμπιάδα*, totus Suidae locus omnino caret sensu. Cum enim, si eam lectionem probandam esse putaverimus, aliis antiquitatis testimoniis cogamur, ut Pyrrhonem olympiade centesima prima n a t u m esse dicamus, quid sibi velint et verba *ὃς ἦν* et *ἐπὶ Φιλίππου* et *ἐπέκεινα* intellegere non possumus. Itaque Clintonus (Fast. Hell. III, p. 476) talem suspicatus est loci faciem antiquitus fuisse: *φιλόσοφος, γεγονὼς κατὰ τὴν ἑκατοστὴν πρώτην ὀλυμπιάδα, ὃς ἦν ἐπὶ Φιλίππου τοῦ Μακεδόνος καὶ ἐπέκεινα.* At Pyrrho ad Anaxarchum se applicuit eumque anno trecentesimo vicesimo septimo in Indiam secutus est; quis tandem sibi persuaserit, cum tunc temporis jam prope quinquaginta annos natum fuisse? Neque tamen assentiendum putamus lectioni *κατὰ τὴν ριά ὀλυμπιάδα*, quia ne ipsa quidem recepta quid sibi velint illa *ἐπὶ Φιλίππου καὶ ἐπέκεινα* intellegitur. Nescio igitur an hic Suidae locus referendus sit ad Diogenis IX, 58: *Ἀνάξαρχος καὶ Ἀλεξάνδρῳ συνῆν καὶ ἤκμαζε κατὰ τὴν δεκάτην καὶ ἑκατοστὴν ὀλυμπιάδα*, atque legendum: *κατὰ τὴν ρί ὀλυμπ.*, qua conjectura recepta cum toti Suidae loco sanus redditur sensus, tum illud imprimis apparet, cur additum sit *ἐπέκεινα*, quippe cum apud Diogenem (IX, 61) Pyrrho discipulus dicatur Anaxarchi.

[1]) cf. Diog. IX, 63. Aristocl. ap. Euseb. Praep. evang. lib. XIV, 17. 18.

[2]) Adv. Grammat. 282: *λέγεται γὰρ αὐτὸν καὶ ποίησιν εἰς τὸν Μακεδόνα Ἀλέξανδρον γράψαντα μυρίοις χρυσοῖς τετιμῆσθαι.*

[3]) Servabatur quaedam ejus tabula Elide in gymnasio. Diog. IX, 62.

Quum vero constet ex Diogene Laërtio (IX, 62), eum nonagesimum aetatis annum agentem e vita decessisse, proxime nos putamus abesse a vero, cum illum fuisse dicamus ab anno circiter trecentesimo sexagesimo quinto usque ad annum ducentesimum septuagesimum quintum a. Chr. n. [1]). Habemus igitur, unde ad seriem philosophorum Scepticorum computandam initium sumamus.

Cap. III.

Neque vero minus apparet illud, quo temporis sit progrediendum. Extremos enim Scepticorum in sua serie ponit Diogenes Laërtius Saturninum Cythenam et Sextum Empiricum. Eos igitur fuisse ante Diogenem, res ipsa declarat. Quum vero Diogenis aetas ab anno circiter ducentesimo vicesimo usque ad annum ducentesimum quinquagesimum p. Chr. n. terminetur [2]), Saturninum multo post annum ducentesimum tricesimum fuisse vix erit dicendum. Neque deest nobis accuratior computus. Sextus enim Empiricus exhibet [3]) nomen Basilidis Stoici, quem imperatoris M. Aureli praeceptorem fuisse nemo est quin concedat [4]). Eum cum Hieronymus in Chron. referat ad olympiadem ducentesimam tricesimam secundam (ab anno centesimo duodequinquagesimo usque ad centesimum quinquagesimum

---

[1]) cf. Zeller. l. c. IV, pag. 439, 440, adn. 1. U e b e r w e g. Hist. phil. I, 230 (360—270 a. Chr.). Unde accuratissime noverit Saessetus (Scepticisme p. 26). Pyrrhonem fuisse 380—288, non intellegimus.

[2]) cf. Zeller. in indice auctorum, quorum libris usus est. pag. 8. U e b e r w e g. l. c. I, pag. 20.

[3]) adv. Log. II, 258: *ὁρῶμεν δὲ ὥς εἰσί τινες οἱ ἀνῃρηκότες τὴν ὕπαρξιν τῶν λεκτῶν, καὶ οὐχ οἱ ἑτερόδοξοι μόνον, οἷον οἱ Ἐπικούρειοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Στωϊκοί, ὡς οἱ περὶ τὸν Βασιλείδην, οἷς ἔδοξε μηδὲν εἶναι ἀσώματον.* cf. Fabric. ad h. loc.

[4]) cf. Zeller. l. c. IV, pag. 79, adn. 1 et pag. 614, adn.

secundum p. Chr.)[1], satis liquet fieri non posse ut Sextum Empiricum ante annum centesimum quinquagesimum p. Chr. n. fuisse statuamus. Huc accedit, quod Galenus, doctissimus ille medicus Pergamenus, in libris suis mentionem facit Empiricorum Menodoti Theodae Herodoti pluribus locis[2], nusquam Sexti Empirici. Cum vero in libro[3], qui inscribitur medicus sive introductio (qui liber falso tribuitur Galeno) Menodotus et Sextus sectam medicorum empiricam accurate firmiterque munivisse dicantur, atque in eodem libro[4] Herodoti mentio fiat, Theodae non item, interea Sexto magnam gloriam esse partam, obscuratam Theodae gloriam apparet. Atque ipse Galenus refert[5], quum annos triginta septem natus Romam reliquisset et in patriam rediisset, sibi oblatos esse tres libros in eorumque numero librum *περὶ τῆς ἰατρικῆς ἐμπειρίας* conscriptum, antequam Pergamo Smyrnam demigrasset, quum per duos dies Pelops et Philippus, medicus empiricus, multum invicem discep-

[1]) Apollonius Stoicus natione Chalcidicus, et Basilides Scythopolitanus philosophi illustres habentur, qui Veri quoque Caesaris praeceptores fuerunt. cf. Sync. p. 351: *Ἀπολλώνιος Στωϊκὸς Χαλχηδόνιος, Βασιλείδης Σκυθοπολίτης· οὗτοι καὶ διδάσκαλοι Οὐηρησίμου Καίσαρος γεγόνασιν.* M. Aurelium Antoninum et eundem dictum esse Verissimum patet ex Jul. Capitol. vit. M. Anton. c. 1, 4.

[2]) Menodoti fit mentio: De fac. nat. I, 14 (Vol. II, p. 52), therap. meth. II, 7 (X, 136. 142), de cur. rat. per ven. sect. 9 (XI, 277), in Hippocr. de acut. morb. vict. IV, 17 (XV, 766), in Hippocr. de artic. III, 62 (XVIII, a. 575), de libr. propr. 9 (XIX, 38); Theodae: Therap. meth. l. c. (p. 142), de libr. propr. l. c.; Herodoti: De alim. fac. I, 13 (VI, 516), de prob. pravisque alim. succ. 4 (VI, 775), therap. meth. VII, 6 (X, 474), de simpl. medic. temp. et fac. I, 27 (XI, 429. 430), 29 (XI, 432), 34 (XI, 442), 36 (XI, 443), de comp. medic. per gen. V, 3 (XIII, 788. 789. 801).

[3]) c. 4 (Vol. XIV, pag. 683): *τῆς δὲ ἐμπειρικῆς προέστησαν .... μεθ' οὓς Μηνόδοτος καὶ Σέξτος, οἳ καὶ ἀκριβῶς ἐκράτυναν αὐτήν.*

[4]) c. 1 (Vol. XIV, pag. 675).

[5]) De libr. propr. c. 2 (XIX, pag. 16).

tassent; quare eum librum inter primos Galeni libros esse numerandum atque jam ante annum centesimum quinquagesimum primum, quo anno Smyrnam et postea Alexandriam se contulit[1], esse elaboratum constat. Quem librum cum in libris enumerandis inter illos, quos scripsit adversus Theodam et Menodotum posuerit, hos libros eodem fere tempore conscriptos esse conjicere licet. Itaque Theodam et Menodotum ante annum centesimum quinquagesimum fuisse sentimus, Herodotum ab anno circiter centesimo quinquagesimo p. Chr. Scepticorum scholae praefuisse usque ad annum centesimum octogesimum, Sextum Empiricum denique ab anno circiter centesimo octogesimo usque ad annum ducentesimum decimum. Sexti enim vitae majorem partem secundo p. Chr. saeculo esse tribuendam, ipse[2]) indicat, cum sibi in praesens maxime adversari Stoicos dicat, qui exeunte saeculo secundo summa Romae florebant auctoritate, ineunte autem saeculo tertio magis magisque evanescebant. In Sexti igitur aetate definienda prope accesserunt ad verum, qui eum vel post Galenum vel tempore imperatoris Commodi vel paulo post fuisse dixerunt. Atque nobiscum quidem sentit Zellerus[3]), dissentit aliquantulum Brandisius[4]), qui eum ineunte saeculo tertio fuisse putat, maxime autem errat Nietzschius[5]), cum Diogenem Laërtium suam Sexti Empirici notitiam Favorino debuisse dicat, id quod fieri non potest, nisi quis Sextum Empiricum jam ante annum centesimum quinquagesimum p. Chr. fuisse ultro statuerit. Nam Favorinum usque ad

[1]) cf. Zeller. l. c. IV, pag. 734, adn. 2. Hist. lit. Galeni pag. XXVI, LXXII, CXCV. (Edit. Kühn. Vol. I.)

[2]) Hypot. I, 65: *τοὺς μάλιστα ἡμῖν ἀντιδοξοῦντας νῦν δογματικοὺς τοὺς ἀπὸ τῆς στοᾶς . . .*

[3]) l. c. V, pag. 6.

[4]) Hist. progress. phil. graec. II, pag. 209. Ritter. l. c. p. 285.

[5]) In Mus. Rhen. nov. Vol. XXIV, pag. 208.

annum circiter centesimum quinquagesimum quintum vitam protulisse, suo loco demonstrabimus.

Cap. IV.

Quae cum ita sint, cum a morte Pyrrhonis usque ad mortem Sexti prope quadringenti octoginta anni sint elapsi neque tamen successores plus quam duodecim numerentur, nisi quis quemque eorum per quadragenos annos scholae praefuisse statuendum putaverit, aut non integram esse Diogenis seriem aut Scepticorum philosophorum aliquando defecisse successionem est dicendum. Cum vero nullum extet antiquitatis testimonium, quo non integram esse illam seriem possimus comprobare, plura autem, quibus per aliquantum temporis defecisse Scepticorum successionem plane evincitur, quin continua non fuerit Scepticorum successio in dubium vocare non licet. Atque jam illud quaeritur, quo tempore defecerit Scepticorum successio. Qua in re qui adhuc versati sunt, ad unum fere omnes nixi auctoritate Menodoti apud Diogenem[1]) consentiunt, post Timonem vel non ita multo post eum Scepticorum successionem esse exstinctam[2]). Menodoto enim, quippe qui rem quasi domesticam optime noverit, plurimam fidem esse habendam[3]). Itaque ab Ptolemaeo usque ad Saturninum Diogenis seriem esse integram atque continuam statuunt, quare ut Aenesidemum ineunte primo p. Chr. saeculo fuisse autument

[1]) IX. 115: *τούτου διάδοχος (ὡς μὲν Μηνόδοτός φησι) γέγονεν οὐδείς, ἀλλὰ διέλιπεν ἡ ἀγωγή, ἕως αὐτὴν Πτολεμαῖος ὁ Κυρηναῖος ἀνεκτήσατο.*

[2]) cf. Brucker. l. c. Ritter. l. c. pag. 282. 283. Zeller. l. c. IV. p. 441. Brandis. l. c. II. p. 180. Ueberweg. l. c. I. p. 231. 232. Saisset, le Scepticisme, Paris. 1865. p. 26.

[3]) cf. Saisset. l. c.

adiguntur[1]). Quae omnia ultro essent concedenda, si ita essent intellegenda Menodoti verba, ut revera exstinctam esse Scepticorum successionem diceret, si deinde omnino spernendum esset testimonium Sotionis, si denique certo Aenesidemum fuisse ineunte saeculo p. Chr. primo esset exploratum. At neque defecisse successionem Pyrrhoniorum dicit Menodotus, sed vitae rationes et instituta (non enim successionem, sed Scepticorum vitae rationes et instituta significat verbum *ἀγωγή*)[2]), quod quomodo sit intellegendum videbimus, cum de ratione quae intercesserit inter Academicos et Pyrrhonios disseruerimus[3]); neque omnino rejiciendum est testimonium Sotionis, quippe qui fuerit eodem tempore; neque denique quisquam Aenesidemum revera fuisse ineunte primo saeculo usque ad nostram memoriam magnis argumentis demonstravit atque sanxit.

[1]) cf. Ritter. l. c. p. 286. Zeller. l. c. V, p. 7. Ueberweg. l. c. p. 232. Saisset. l. c. p. 25, 69. Brandis. l. c. p. 198 putat ratione temporum prorsus neglecta, eum paulo post Ciceronem fuisse cf. Brucker. l. c. §. 8.

[2]) cf. Phot. Bibl. l. c. Sext. Emp. Hypot. I, 2. 6. 7. 17. 25 et passim. L. c. 16, 17. Sextus Empiricus haec exhibet: *Εἰ μέν τις αἵρεσιν εἶναι λέγει πρόσκλισιν δόγμασι πολλοῖς ἀκολουθίαν ἔχουσι πρός ἄλληλά τε καὶ φαινόμενα, καὶ λέγει δόγμα τινὶ ἀδήλῳ συγκατάθεσιν, φήσομεν μὴ ἔχειν αἵρεσιν. εἰ δέ τις αἵρεσιν εἶναι φάσκει τὴν λόγῳ τινὶ κατὰ τὸ φαινόμενον ἀκολουθοῦσαν ἀγωγήν, ἐκείνου τοῦ λόγου ὡς ἔστιν ὀρθῶς ζῆν ὑποδεικνύοντος (τοῦ ὀρθῶς μὴ μόνον κατ' ἀρετὴν λαμβανομένου ἀλλ' ἀφελέστερον) καὶ ἐπὶ τὸ ἐπέχειν δύνασθαι διατείνοντος, αἵρεσίν φαμεν ἔχειν· ἀκολουθοῦμεν γάρ τινι λόγῳ κατὰ τὸ φαινόμενον ὑποδεικνύοντι ἡμῖν τὸ ζῆν πρὸς τὰ πάτρια ἔθη καὶ τοὺς νόμους καὶ τὰς ἀγωγὰς καὶ τὰ οἰκεῖα πάθη.* Ex his satis apparet, *ἀγωγήν* significare Scepticorum vitae rationes et instituta, quare ab re non esse putamus, convertere illud verbum brevitatis caussa per „instituta“. cf. Zeller. l. c. V. p. 21 et adn. 2, qui *ἀγωγήν* Germanice transfert „Richtung“.

[3]) cf. infra. c. VII.

Quae cum ita sint, cum nihil hac de re satis exploratum habeamus, eam denuo quaerendam esse arbitramur.

Cap. V.

Neque vero illud ultro apparet ex Diogene Laërtio, utrum Eubuli mentio ad eosdem referenda sit Hippobotum et Sotionem an ad aliquem alium auctorem. Nos quidem cum Diogenes post Prayli mentionem narratiuncula de eo inserta, quam ex Philarcho historico[1]) se mutuatum esse fatetur, ita pergat, ut eum indicem quendam successorum sequi verba ipsa declarent, errare non putamus, cum Dioscuridis Nicolochi Euphranoris Prayli mentionem ad Hippobotum et Sotionem, reliqua ad alium quendam auctorem referenda esse dicimus. Recte enim sentire nobis non videtur Zellerus[2]), qui Sotionem et Hippobotum nomen quoque Eubuli exhibuisse et post illum Scepticorum successionem exstinctam esse statuit, id quod nullo antiquitatis testimonio comprobatur. Et Zellerus quidem sententiam suam hac ratione commendat, ut dicat, neque fieri potuisse, ut Ptolemaeus existeret discipulus Eubuli, quippe qui annis circiter centum octoginta[3]) fuerit major natu,

---

[1]) Diog. IX, 115.

[2]) l. c. V, p. 2, adn. 1; IV, p. 441, adn. 2.

[3]) Quomodo fieri potuerit, ut inter Ptolemaeum et Eubulum centum octoginta anni intercesserint, ne ex Zelleri quidem ratione intellegitur. Si enim statuamus, Aenesidemum fuisse ineunte primo post Christum saeculo (cf. Zeller. l. c. p. 7, adn. 1), Ptolemaeum circa annum quinquagesimum a. Ch. fuisse erit dicendum; Timon autem Phliasius decessit anno circiter ducentesimo tricesimo quinto, quo fit, ut Eubulum, qui excepit Timonis discipulum Euphranorem, anno circiter ducentesimo a Ch. fuisse sit statuendem. Unde apparet, ne ex Zelleri quidem ratione inter Eubulum et Ptolemaeum plus quam centum quinquaginta annos intercessisse, id quod Zellerus ipse concedit, l. c. IV, p. 441, adn. 2.

et illud accedere, quod Aristocles quoque Scepticorum scholam continuam fuisse neget. At alterum argumentum nititur ratione, qua Zellerus Aenesidemi aetatem computavit, quae num sit vera investigandum, altero nimis urgentur Aristoclis verba, quibus non exstinctam esse Scepticorum scholam post Timonem, sed hoc tantum potest effici, neminem illorum habuisse rationem, quasi omnino non essent[1]).

Sed ipso Zelleri errore discimus, quomodo nobis quaestio sit instituenda, ut hac in re tandem aliquid veri consequamur. Nisi enim Aenesidemi aetatem investigaverimus atque certis finibus circumscripserimus, nunquam certi quidquam de Scepticorum successione poterimus statuere. Cujus aetatem si ad tempus certum retulerimus, cum explorata sit aetas et Pyrrhonis et Sexti, in promptu erit statuere, quo tempore defecerit Scepticorum successio. Atque optima fortuna factum est, ut nobis de Aenesidemi aetate ea sint servata antiquitatis testimonia, quibus *illum fuisse priore parte primi a. Chr. n. saeculi, atque post eum intercisam esse Scepticorum successionem* possimus comprobare.

Cap. VI.

Atque duobus imprimis magnis argumentis definitur Aenesidemi aetas, quorum unum subministrant Photius et Sextus Empiricus. Photius[2]) enim, qui totum Aenesidemi librum, qui inscribitur Pyrrhoniarum rationum libri octo, excerpsit, fortuna favente illius libri locum ad verbum, ut apparet, nobis conservavit: *Οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Ἀκαδημίας φησὶ*

---

[1]) Ap. Euseb. Praep. ev. lib. XIV, c. 18: *μηδενὸς δ'ἐπιστραφέντος αὐτῶν, ὥς εἰ μηδὲ ἐγένοντο τὸ παράπαν.* Haec verba quomodo sint intellegenda, vide infra. c. XI.

[2]) cf. Prooem.

μάλιστα τῆς νῦν καὶ Στωϊκαῖς συμφέρονται ἐνίοτε δόξαις καὶ, εἰ χρὴ τἀληθὲς εἰπεῖν, Στωϊκοὶ φαίνονται μαχόμενοι Στωϊκοῖς. Haec verba ipsius esse Aenesidemi, satis evincitur et verbo *φησί* et illis *εἰ χρὴ τἀληθὲς εἰπεῖν.* Atque hisce verbis mirum in modum conveniunt, quae dicit Sextus Empiricus[1]) de Antiocho Ascalonita, qui eam quam dicunt quintam Academiam instituit: *ἀλλὰ καὶ ὁ Ἀντίοχος τὴν Στοὰν μετήγαγεν εἰς τὴν Ἀκαδημίαν, ὡς καὶ εἰρῆσθαι ἐπ' αὐτῷ, ὅτι ἐν Ἀκαδημίᾳ φιλοσοφεῖ τὰ Στωϊκά.* Sextus enim cum ipse testetur[2]), se in re proposita (num Academici sint Sceptici dicendi) explicanda atque coarguenda exemplum sequi Menodoti et Aenesidemi, quaenam Academia sit intellegenda, cum Aenesidemus dicat *μάλιστα τῆς νῦν*, in dubium non jam licet vocare, Academia scilicet, cui praefuit Antiochus. Atque Antiochum ipsum, non discipulos et sectatores ejus, ut forsitan quis sentiendum putaverit, esse intellegendos, satis aperte declaratur Sexti verbis. Cum vero Antiochus circa annum duodeoctogesimum a. Chr. n. Athenis functus sit munere docendi et e vita decesserit circa annum duodeseptuagesimum a. Chr. n., Aenesidemus quin fuerit priore parte primi a. Chr. saeculi atque fortasse usque ad annum sexagesimum vel quinquagesimum vitam protulerit, jam dubium non est eoque minus, quod Aenesidemus, quem Alexandriae doctrinam suam tradidisse Aristocles est auctor[3]), ea in urbe Antiochum ipsum, qui post bellum Mithridaticum cum Lucullo eo profectus est, potuit convenire. Minime vero assentiendum est Zellero[4]), qui illud, quod queritur Aenesidemus Academicos sibi aequales nimis sequi Stoicorum praecepta statuendi rationem, non necessario intellegendum putat de Antiocho, sed posse eodem jure referri ad posteriores, quia etiam postea retinuerit schola Academica Antiochi undique elegendi quod sibi placuerit rationem — id quod esset concedendum, si non exstaret Sexti testimonium.

¹) Hypot. I. 235.
²) l. c. 222.
³) Ap. Euseb. l. c.
⁴) l. c. V. pag. 7.

Alterum argumentum, quod cum ipsum minoris esse momenti videatur, ei tamen ex priore magna accedit vis et pondus, exhibet Photius (l. c.), qui Aenesidemum Lucio Tuberoni, nobili viro Romano, librum suum refert dedicasse: *γράφει δὲ τοὺς λόγους Αἰνησίδημος*[1]) *προσφωνῶν αὐτοὺς τῶν ἐξ Ἀκαδημίας τινὶ συναιρεσιώτῃ Λουκίῳ Τοβέρωνι, γένος μὲν Ῥωμαίῳ, δόξῃ δὲ λαμπρῷ ἐκ προγόνων καὶ πολιτικὰς ἀρχὰς οὐ τὰς τυχούσας μετιόντι.* Atque hunc Lucium Tuberonem illum Ciceronis ab adolescentia familiarissimum et affinem esse, qui ab anno sexagesimo primo usque ad duodesexagesimum Qu. Ciceroni in Asia legatus fuit, jam ex iis liquet, quae de illo M. Cicero pluribus locis praedicat. Scribit enim ad Quintum fratrem[2]): „Quamquam legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suae, de quibus honore et dignitate et aetate praestat Tubero, quem ego arbitror, praesertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit et possit imitari.“ Quo loco illud quoque apparet, tunc temporis aetate jam provectiorem fuisse Tuberonem. Et in oratione pro Ligario habita magnum etiam inter se et Tuberonem intercedere dicit vinculum, quod iisdem studiis semper usi sint, atque praedicat eum excellentem honore, nobilitate, splendore, ingenio[3]). Itaque haec de eo Teuffelius[4]), „Sicut Cicero“, inquit, „ita Tubero ad Academiam novam se applicuit atque Aenesidemus Scepticus philosophus illi „*Πυῤῥωνίους λόγους*“, quos composuit, dedicavit.“

¹) Ap. Phot. legitur *Αἰνεσίδημος*, Bekkerus scribit *Αἰνησίδημος*.
²) I. 1. 3. 10. (anno LX. a. Chr. n.)
³) Pro Lig. 7, 21; 9, 27.
⁴) Hist. literar. latin. n. 169, 8.

Zellerus[1]) quidem in contrarium nititur: „Licet enim omnia", inquit, „optime quadrent, ut illum Tuberonem, qui est apud Ciceronem, Aenesidemo fautorem fuisse dicamus, nihil tamen obstat, quin hunc Aenesidemi fautorem fuisse posteriorem statuamus, nepotem fortasse illius superioris, cui idem erat nomen, praesertim cum Quintum, L. Tuberonis filium, qui fuit in eo numero, qui accusaverunt Ligarium, et rerum scriptorem et jurisconsultum fuisse constet (Bernhard. Hist. liter. lat. pag. 646 s.), quare in promptu est conjicere, illam gentem universam literarum studio fuisse deditam." Haec vero ut excogitaret Zellerus, compulsus est falsa Aenesidemi aetatis ratione, quam ita conficit, ut ab Sexti aetate nullo interjecto temporis intervallo usque ad Aenesidemum regrediatur. Nisi igitur Zellerus illius ignoti Tuberonis nepotis ullum vestigium repperit, nullam ei habendam esse fidem quisque facile concedet, praesertim cum in illum Tuberonem, qui nobis occurrit apud Ciceronem, conveniant et nomen et ingenium et generis nobilitas et studia literarum. Quare nihil caussae esse censemus, cur sola temporum ratione, quae eadem certo non nititur fundamento, adducamur ut negemus, illum qui est apud Ciceronem, eundem esse Tuberonem ac illum, cui Aenesidemus librum suum dedicavit. Immo vero hac quoque caussa permoti statuendum putamus, Aenesidemum fuisse etiam posterioribus annis prioris partis primi a. Chr. n. saeculi atque fortasse eo temporis spatio, quod terminatur ab anno octogesimo usque ad sexagesimum, librum suum scripsisse.

Tertium denique accedit argumentum, quod subministratur nobis ab Eusebio in libro, qui inscribitur praeparatio Evangelica, eoque saltem ante Christum natum fuisse efficitur Aenesidemum. Eusebius enim cum scriberet praeparationem Evangelicam, putasne illum usque

[1]) l. c. V, p. 8, adn. 1.

eo aberrasse a re proposita, ut exhiberet placita philosophi, qui fuerit post Christum? Sane quidem saepius sive potius plerumque et philosophorum qui fuerunt p. Chr. et aliorum scriptorum dicta adhibet ipsorum verbis cum ad suam sententiam confirmandam tum ad ea quae quaque de re senserint antiqui philosophi explicanda tum ad ipsos antiquos philosophos confundendos: at Aenesidemo non utitur auctore illorum qui ante Christum fuerunt Scepticorum doctrinae, sed eum adjungit Pyrrhoni et Timoni atque ipsius rationes et placita una cum illorum redarguit Aristoclis Messanii verbis[1]). Cum vero Eusebius hac in re versetur, ut Hebraeorum perpetuam ab initio in omnibus rebus consensionem atque convenientiam opponat philosophorum Graecorum dissensioni et repugnantiae[2]), quam dissensionem exponit iis quae sequuntur libri XIV. capitibus et libro XV. atque ad eam demonstrandam rationes quoque Pyrrhonis Timonis Aenesidemi ex Aristoclis de philosophia libro exhibet, quis est qui sibi possit persuadere, Eusebium Aenesidemi si fuerit post Christum mentionem fecisse? Verum enim vero Aenesidemum fuisse ante Christum eo maxime confirmatur, quod Eusebius philosophorum quorum recenset placita Academicorum extremos nominat Philonem Charmidam Antiochum[3]), Stoicorum Zenonem Tarsensem et Posidonium[4]), atque praeter eos philosophos Asclepiaden[5]), quorum nemo fuit post quinquagesimum a. Chr. annum. Qui igitur fieri potest, ut in

[1]) cf. Euseb. praep. evang. XIV, 18.

[2]) cf. l. c. XIV, 2. 3.

[3]) l. c. XIV, 9. 3.

[4]) cf. l. c. XV, 13 et XV, 40. 3.

[5]) cf. l. c. XIV, 23. 4: *καὶ τούτων φασὶ τῶν ἀμερῶν ὀνοματοποιὸν Διόδωρον γεγονέναι, ὄνομα δέ φασιν αὐτοῖς ἄλλο Ἡρακλείδης θέμενος ἐκάλεσεν ὄγκους, παρ' οὗ καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ ἰατρὸς ἐκληρονόμησε τὸ ὄνομα.* Heraclidem Ponticum hic esse intellegendum, patet ex Sexti Empirici loco, Hyp. III, 32.

solo Aenesidemo Eusebium putemus aut penitus oblitum esse propositi aut in maximum errorem incidisse? Ex his enim duobus si statuerimus Aenesidemum fuisse post Christum natum, unum erit dicendum, id quod nescio an facile nemo concesserit, praesertim cum qui ineunte primo p. Chr. saeculo arbitratur Aenesidemum fuisse, facere non possit quin eum non modo plusquam ducentorum triginta annorum spatio a Timone remotum, sed ne ullo quidem vinculo cum illo conjunctum fuisse censeat. Sed hic fortasse quis objecerit, Eusebium illum locum, ut erat apud Aristoclem exscripsisse nulla habita ratione, utrum vera an falsa describeret. Quod qui concedat neminem invenias, nisi quis omnem fidem et Eusebio et Aristocli negandam demonstraverit. Immo vero cum Eusebium in ejusmodi errorem incidisse nusquam deprehendamus neque quisquam Aristoclem falso Aenesidemum cum Timone composuisse unquam comprobaverit aut possit comprobare[1]), neque denique desint caussae aliunde petitae, quibus Aenesidemum priore primi a. Chr. saeculi parte fuisse indicetur, hoc ipso quod Eusebius usus est illo loco Aristoclis, nostro jure concludimus, vere esse Aenesidemum in eodem numero referendum ac Timonem atque fuisse ante Christum natum. Cum vero quos extremos nominat Eusebius, Antiochus Asclepiades Posidonius fuerint priore primi a. Chr. saeculi parte atque Antiocho Aenesidemum fuisse aequalem jam supra sit demonstratum, minime jam posse arbitramur vocari in dubium, quin priore primi a. Chr. saeculi parte fuerit Aenesidemus.

Cap. VII.

Hanc vero nostram sententiam summopere commendari atque comprobari qui neget neminem fore arbitramur, cum

[1]) cf. infra c. XI.

de ratione, quae intercesserit inter Scepticos et Academicos, pauca disseruerimus. Sceptica enim doctrina nascens non ita bonam nacta est fortunam. Nam eodem fere tempore, quo decessit Scepticae philosophiae quasi parens, Pyrrho, exstitit Arcesilaus, qui Academiam quam vocant mediam instituit. Atque is anno circiter trecentesimo decimo quinto a. Chr. natus jam ante annum ducentesimum segtuagesimum magno cum plausu docendi munus suscepit[1]), in quo munere versatus est usque ad annum ducentesimum quadragesimum primum. Aequalis igitur fuit Timoni Phliasio. In philosophandi autem ratione usque eo proxime accessit ad Scepticorum instituta, ut Sextus Empiricus ipse, licet Academicorum doctriuam differre a Scepticorum evincere nitatur, tamen cogatur haec de Arcesilao confiteri[2]): *Ὁ μέντοι Ἀρκεσίλαος, ὃν τῆς μέσης Ἀκαδημίας ἐλέγομεν εἶναι προστάτην καὶ ἀρχηγόν, πάνυ μοι δοκεῖ τοῖς Πυῤῥωνείοις κοινωνεῖν λόγοις, ὡς μίαν εἶναι σχεδὸν τὴν κατ' αὐτὸν ἀγωγὴν καὶ τὴν ἡμετέραν. οὔτε γὰρ περὶ ὑπάρξεως ἢ ἀνυπαρξίας τινὸς ἀποφαινόμενος εὑρίσκεται, οὔτε κατὰ πίστιν ἢ ἀπιστίαν προκρίνει τι ἕτερον ἑτέρου, ἀλλὰ περὶ πάντων ἐπέχει.* Neque differre a Scepticis ait ea, quae docet Arcesilaus de finibus. Quam infert differentiam, eam non certam atque apertam, neque in natura, sed in opinione positam esse concedit: *πλὴν εἰ μὴ λέγοι τις, ὅτι ἡμεῖς μὲν*

[1]) cf. Plut. adv. Colot. XXVI, p. 1121. F.: *τοῦ δ' Ἀρκεσιλάου τὸν Ἐπίκουρον οὐ μετρίως ἔοικεν ἡ δόξα παραλυπεῖν, ἐν τοῖς τότε χρόνοις μάλιστα τῶν φιλοσόφων ἀγαπηθέντος.* cf. Zeller. l. c. IV, p. 448, adn. 3.

[2]) Hypot. I, 232—234. Numenius de Arcesilao, a quo auditum esse dicit Pyrrhonem (Ap. Euseb. l. c. XIV, 5. 2), haec praedicat: l. c. 5, 14: *ταῖς οὖν Διοδώρου διαλεκτικοῦ ὄντος λεπτολογίαις τοὺς λογισμοὺς τοὺς Πύῤῥωνος καὶ τὸ Σκεπτικὸν καταπλέξας* . . . 6, 4: *ὡμιληκὼς δὲ Πύῤῥωνι πλὴν τῆς προσρήσεως ἐνέμεινε Πύῤῥωνι, ὡς τῇ πάντων ἀναιρέσει*, 6, 6: *ἦν μὲν τοίνυν Πυῤῥώνειος πλὴν τοῦ ὀνόματος, Ἀκαδημαϊκὸς δ' οὐκ ἦν πλὴν τοῦ λέγεσθαι.*

κατὰ τὸ φαινόμενον ἡμῖν ταῦτα λέγομεν καὶ οὐ διαβεβαιωτικῶς, ἐκεῖνος δὲ ὡς πρὸς τὴν φύσιν, id quod ne conatur quidem ullo comprobare argumento. Atque eandem esse caussam putamus, cur ubi disserit de iis philosophis, quibus nihil posse comprehendi placuerit[1]), non Arcesilaum nominet, sed Carneadem et Clitomachum. Hanc autem philosophandi rationem, quam secutus erat Arcesilaus, ii quoque retinuerunt, qui proxime post eum Academiae praefuerunt[2]). Quid vero mirum, si tunc temporis secta Scepticorum propria, Pyrrhonis nomine celebris, ad magnam non pervenit neque auctoritatem neque gloriam, cum secta Academica, quae diu jam vigebat, eandem amplexaretur doctrinam? Qui enim hodie inter Scepticorum et Arcesilai doctrinam vere aliquid interesse dicunt, Sexto ipso melius rem se novisse fateantur oportet. Nonne citius quis sibi persuaserit, Pyrrhonios et Academicos, quippe qui eandem profiterentur doctrinam, societatem quamdam iniisse (id quod revera esse factum demonstrabimus) atque Academiae utpote potioris nomen mansisse? Jam vero Carneades, qui fuit ab anno ducentesimo decimo quarto usque ad annum centesimum undetricesimum a. Chr. n. atque novam condidit Academiam, ipse usque eo omnem sustulit certi quidquam cognoscendi facultatem, ut eum differre fortasse ratione cognoscendi, certo agendi ratione a Scepticorum institutis Sextus dicere cogeretur[3]). Alteram quoque infert differentiam, quae versatur in iis, quae tradunt Carneadis discipuli de cogitatione[4]). Atque hic jam disceditur a vera

[1]) Hypot. I, 3: *ὡς δὲ περὶ ἀκαταλήπτων ἀπεφήναντο οἱ περὶ Κλειτόμαχον καὶ Καρνεάδην καὶ ἄλλοι Ἀκαδημαϊκοί.*

[2]) cf. Zeller. l. c. IV, pag. 454.

[3]) l. c. 226: *οἱ δὲ ἀπὸ τῆς νέας Ἀκαδημίας, εἰ καὶ ἀκατάληπτα εἶναι πάντα φασί, διαφέρουσι τῶν Σκεπτικῶν ἴσως μὲν καὶ κατ' αὐτὸ τὸ λέγειν πάντα εἶναι ἀκατάληπτα, διαφέρουσι δὲ ἡμῶν προδήλως ἐν τῇ τῶν ἀγαθῶν καὶ τῶν κακῶν κρίσει.* cf. Zeller. l. c. pag. 456 ss.

[4]) l. c. 227 ss. cf. Euseb. l. c. XIV, 7. 15.

sinceraque Sceptica ratione. Quod multo magis evenit in Philone Larissaeo, qui secundo loco successit Carneadi et eam, quam quartam vocant instituit Academiam. Is enim licet vehementissime Stoïcos impugnaret, res ipsas tamen posse comprehendi statuit, neque tamen ex Stoicorum cognitionis nota, quam dicunt cogitationem comprehensivam[1]). Qui cum decessisset anno octogesimo a. Chr., Academiae praefuit Antiochus Ascalonites, qui usque eo se convertit ad Stoicorum doctrinam, ut Platoni adjacere diceret Stoïcorum praecepta[2]).

Quae cum ita sint, cum Arcesilai tempore Academicos et Scepticos eandem doctrinam professos esse concedendum sit, ultro est fatendum, fieri non potuisse, ut quovis tempore Sceptici ita impugnarent Academicos, ut aliquid consequerentur. Verum enim vero cum adierimus historiae fidem, illud nobis erit dicendum, post Arcesilai obitum, cum Timo Phliasius adhuc viveret, societatem quamdam iniisse Pyrrhonios et Academicos. Atque Arcesilaum quidem impugnavit Timo Phliasius non disputando atque disserendo, sed irridendo atque illudendo. Diogenes enim narrat, Timonem quum conspexisset Arcesilaum, dixisse ei: „Quid tu hic, ubi nos versamur, qui sumus liberi?“ et interrogatum ab Arcesilao, cur adesset relictis Thebis respondisse: „Ut rideam vos intuitus, qui in altum evolastis“, necnon carpsisse eum in sillis[3]). Inter Lacydem vero, Arcesilai successorem, et Timonem necessitudinem quamdam intercessisse, ex iis apparet, quae de utroque illorum refert Athenaeus[4]). Atque

[1]) l. c. 235 (*φαντασία καταληπτική*).

[2]) l. c. De ejus aetate vid. supra c. VI. cf. de ipso Num. ap. Euseb. l. c. XIV, 9. 3: *Μνησάρχῳ γοῦν τῷ Στωϊκῷ σχολάσας ἐναντία Φίλωνι τῷ καθηγητῇ ἐφρόνησε, μυρία τε ξένα προσῆψε τῇ Ἀκαδημίᾳ.*

[3]) Diog. IX, 114. 115.

[4]) X, p. 438 a. Quod ibi narratur certamen, non inter inimicos, sed inter amicos fieri solet, praeterquam quod illos Athenaeus dicit vocatos esse „*πρός τινα τῶν γνωρίμων.*“ cf. infra c. XVII.

Timonem non usque ad vitae finem animum retinuisse Academicis infestum, inde quoque colligitur, quod et Diogenes Arcesilaum ab illo in sillis quidem carptum esse dicit, libro vero, qui inscribebatur de Arcesilai coena laudatum[1]), et Numenius a Timone Mnasea Philomelo Scepticis Arcesilaum Scepticum esse dictum nobis est auctor[2]). Quare non temeritatis esse putamus, statuere, post Arcesilaum vivo etiam Timone ita conjunctos esse Academicos et Pyrrhonios, ut quasi una efficeretur secta[3]) neque penitus intercideret Scepticorum doctrina. Male enim intellegunt Aristoclis[4]) verba, qui eum exstinctam esse post Timonem Scepticorum successionem testari putant. Haec autem Academicorum et Pyrrhoniorum familiaritas atque conjunctio integra permansit, donec Carneades aliquantum recessit ab antiqua et solita Pyrrhoniorum et Academicorum ratione. Eam enim occasionem nactus Ptolemaeus Cyrenaeus sinceram Pyrrhonis doctrinam ab Academicorum injuriis ita defendit, ut ipse non penitus ab Academia segregaret rem Scepticam. Nam etiam Aenesidemum vinculo quodam cum Academia fuisse conjunctum Photii testimonio comprobatur. Ptolemaeum vero Carneadi fuisse aequalem, ex Aenesidemi aetatis ratione confirmatur. Cum enim Aenesidemum vitam suam usque ad annum circiter sexagesimum a. Chr. protulisse statuerimus, Ptolemaeum ab anno circiter centesimo quinquagesimo usque ad annum centesimum vicesimum fuisse est dicendum. Ex

---

[1]) IX, 115: *ἐπῄνεσεν αὐτὸν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἀρκεσιλάου περὶ δείπνου*, qui liber totus in Arcesilai laudem conscriptus fuisse videtur. cf. IV, 33. 34. 42. Numen. ap. Euseb. l. c. XIV, 5.

[2]) Ap. Euseb. l. c. XIV, 6. Galenus quoque, de optim. doctr. c. 3. (I, p. 48), componit antiquos Academicos et Pyrrhonios.

[3]) Id quod Sextus et reticendo (Hypot. I, 3) et loquendo de Arcesilao (l. c. 232 s.) plane indicat. cf. Galen. l. c.

[4]) cf. c. V, et infra c. XI.

nostra autem sententia illud quoque explicandum esse putamus, quod Diogenes (IX, 115) refert, auctorem esse Menodotum, post Timonem defecisse Scepticorum instituta, donec ea recuperaverit Ptolemaeus. Hoc enim non ita intellegendum arbitramur, ut prorsus exstinctam esse Scepticorum disciplinam et successionem dicamus, sed illum neminem invenisse, qui ante Ptolemaeum Pyrrhoniorum doctrinam diversam esse ab Academicorum contendisset. Cum vero id imprimis demonstrare niteretur Menodotus, diversam esse Pyrrhoniorum et Academicorum disciplinam[1]), ei non licuit nominare quemquam ante Ptolemaeum, nisi forte ipse volebat argumentorum vim infringere. Quare ipsum ne sibi esset concedendum, revera fuisse aliquando conjunctos cum Academicis Pyrrhonios eandemque doctrinam esse professos dicere maluisse censemus, defecisse per illud temporis spatium Scepticorum instituta, id quod maxime erat in promptu, cum nomen quidem Scepticorum sive Pyrrhoniorum evanuisse illo tempore facile quisque concesserit. Jam vero Aenesidemus omnem dissolvit cum Academia conjunctionem. Antiochus enim, tunc temporis Academiae antistes, cum totum se dedisset rationi Stoicorum, ille quin ab Academia discederet facere non potuit. Intercessisse autem aliquod vinculum inter ipsum Aenesidemum et Academiam, ex Photii liquet testimonio, qui illum L. Tuberoni, ex Academia socio[2]), librum suum tradit dedicasse. Quare Zellerus quoque adducitur, ut Aenesidemum primo Academiae fuisse addictum neminem posse negare confiteatur[3]). Neque eo solum direxisse illum orationem, ut differre ab Academia Pyrrhoniorum rationem demonstraret, sed etiam aliud persecutum esse, ex ipsa disputandi ratione, quatenus cognoscere eam licet ex Photio, in promptu est

---

[1]) cf. Sext. Emp. Hypot. I, 222.

[2]) cf. Phot. l. c.: *συναιρεσιώτην ἐξ Ἀκαδημίας*.

[3]) l. c. V, pag. 11.

intellegere. Quid enim caussae putas esse, cur ab hac ipsa differentia demonstranda exordium sumat disserendi? Quod si ea, quae de Aenesidemi libro nobis servavit Photius, accuratius inspexerimus, nonne videbimus, id agere illum, ut non modo differre ab Scepsi Academiam, sed ipsam secum dissidere, solos vero comprobet Pyrrhonios sibi esse constantes? Nonne ergo apparet, eo omnia spectare, ut recte se discessisse ab Academia demonstret? Exprobrat enim Academicis, quod sibi non sint constantes neque firmi in rebus persequendis, sine certa cognitionis nota, in eadem denique caussa eodemque crimine ac ceteri philosophi. Atque his omissis qui fieri potuit, ut librum, qui exordium sumeret ab Academicorum doctrina impugnanda, ipsi viro Academico dedicaret, nisi concedamus, illum jure se ab ista secta defecisse amico persuadere voluisse et fortasse eum quoque avertere? Recte igitur Zellerus[1]), „Haec cum ita sint", inquit, „cum illi pholosophandi rationi, quam dicunt dogmatico-eclecticam Academici, qui successerunt Antiocho, fuerint addicti, compulsus esse videtur Aenesidemus, ut Academia relicta se converteret ad priorem Pyrrhonis Scepsim. In hac enim sola satis praesidii esse credebat, quo depelleret illam praecipiendi inclinationem, quae ad extremum occupaverat Carneadis Scepticam rationem." Hoc vero tenendum, eam discessionem factam esse ipsius Antiochi aetate, minime vero ineunte primo p. Chr. saeculo. Si denique rem totam paucis verbis licet repetere, Timonis et Lacydis tempore et postea eadem fuit Academicorum et Scepticorum doctrina et secta; quum vero Academici magis magisque se converterent ad praecipiendi rationem, ii, qui retinuerant Pyrrhonis doctrinam, eam vindicaverunt. Postremo quum Antiochus Academicus fere totus transiisset ad Stoïcorum praecepta, Aenesidemus

[1]) l. c.

Academia relicta ita rediit ad sinceram Pyrrhonis rationem, ut non consisteret in ea, sed per illam quasi via recta se conferret ad Heracliti philosophiam[1]). Hoc denique adjiciendum putamus, ex nostra quoque sententia servari illis Menodoti verbis (ap. Diog. IX, 115): διέλιπεν ἡ ἀγωγὴ κτλ. integram vim suam. Ex ipsa enim nostra sententia ab obitu Timonis usque ad Carneadem et Ptolemaeum, per quod temporis spatium eadem erat Academicorum et Scepticorum doctrina, secta Sceptica ab Academica non fuit sejuncta neque diversa. Et hoc tantum efficitur ex illis verbis, ab obitu Timonis usque ad Ptolemaeum propriam Scepticorum sectam non fuisse, nihil vero de aetate neque Ptolemaei neque Aenesidemi. Neque illud excluditur Menodoti verbis, amplexatos esse quosdam, licet Academiae essent addicti, magis Pyrrhonis instituta quam Academicorum praecepta.

Cap. VIII.

At hic fortasse aliquis dixerit, temporum rationem ipsam nostrae officere sententiae. A Pyrrhone enim usque ad Aenesidemum sex tantum numerari successores: Timonem Euphranorem Eubulum Ptolemaeum Heraclidem Aenesidemum, eosque cum a Pyrrhonis obitu usque ad Aenesidemi praeterierint plus quam ducenti anni, pauciores esse quam pro tanto temporis spatio. Sed hic primum illud monendum, a Ptolemaeo usque ad Aenesidemum nullam ex temporum ratione exoriri difficultatem. Ante Ptolemaeum autem, cum Pyrrhonios non tam propriam scholam, quam Academiae partem fuisse dicendum sit, quumque neque quando natus sit neque quot annos vixerit Euphranor pro certo, quum nullum servatum sit testimonium,

[1]) cf. infra c. XV.

possimus comprobare, ob has ipsas caussas certam atque firmam confici non posse temporum rationem, facile quis intellexerit. Neque tamen illud praetereundum, neminem esse quin inter mortem Pyrrhonis et Timonis triginta quinque vel quadraginta annos intercessisse concedat. Itaque huic difficultati, quae petitur ex temporum ratione, non eam inesse vim putamus, qua nostra infringatur sententia. Neque ex illis verbis Aristoclis[1]): *ἐχθὲς καὶ πρώην .... Αἰνησίδημός τις ἀναζωπυρεῖν ἤρξατο τὸν ὕθλον τοῦτον*, argumentum sumi posse ad nostram sententiam refutandam, efficiemus cum de ipsius Aristoclis testimonio agemus[2]).

Cap. IX.

Jam vero, quum quo tempore fuerit Aenesidemus satis habeamus exploratum, illud quoque apparet, fieri non posse, ut post Aenesidemum continuam fuisse Scepticorum successionem dicamus. Quod ut certis antiquitatis testimoniis confirmemus restat. Qua in re illud praemonendum est, omnia argumenta, quibus post Aenesidemum defecisse Scepticorum successionem evincitur, plurimum conferre ad stabiliendam nostram de Aenesidemi aetate sententiam. In enumerandis vero atque explicandis antiquitatis testimoniis hunc tenebimus ordinem, ut primum ea afferamus, quae petuntur ex Sexto Empirico, deinde quae ex reliquis antiquitatis auctoribus, tum quae ex ipsius Scepticorum rationis natura, denique ea recenseamus, quibus Aenesidemum fortasse ne ullam quidem, non modo Scepticam scholam instituisse comprobatur.

---

[1]) Ap. Euseb. l. c.

[2]) cf. Saisset. l. c. pag. 25. Zeller. l. c. V, p. 7, adn. 1. Ritter. l. c. IV, p. 286, adn. 2. cf. infra c. XI.

Cap. X.

Atque Sextus Empiricus aperte duos Scepticorum ordines distinguit, quorum unum antiquiorem, alterum recentiorem nuncupat. Haec enim scripta sunt apud illum[1]): *Παραδίδονται τοίνυν συνήθως παρὰ τοῖς ἀρχαιοτέροις Σκεπτικοῖς τρόποι, δι' ὧν ἡ ἐποχὴ συνάγεσθαι δοκεῖ, δέκα τὸν ἀριθμόν, οὓς καὶ λόγους καὶ τόπους συνωνύμως καλοῦσιν........ οἱ δὲ νεώτεροι Σκεπτικοὶ παραδιδόασι τρόπους τῆς ἐποχῆς πέντε*[2]). Aenesidemum vero non in recentiorum, sed in antiquiorum numero refert[3]) (*καθάπερ ἐδείξαμεν τοὺς παρὰ τῷ Αἰνησιδήμῳ δέκα τρόπους ἐπιόντες*)[4]). Eos enim decem modos Aenesidemum non recensere more tantum historicorum neque esse dicendum, collegisse eum et comprehendisse, quae protulerant antiquiores Sceptici ad dubitandi rationem confirmandam, sed ipsum decem modos et non alios adhibuisse ad dogmaticos philosophos confundendos, satis superque apparet ex his Aristoclis (ap. Euseb. l. c. XIV, 18) verbis: *Ὁπόταν γε μὴν Αἰνησίδημος ἐν τῇ ὑποτυπώσει τοὺς ἐννέα διεξίῃ* (saepius igitur illis utebatur) *τρόπους, κατὰ τούτους γὰρ ἀποφαίνειν ἄδηλα τὰ πράγματα πεπείραται, πότερον αὐτὸν φῶμεν κτλ.* Minime igitur in dubium licet vocare, quin Aenesidemus in illorum, qui usi sunt decem modis,

---

[1]) Hypot. I, 36. 164.

[2]) cf. l. c. 177: *τοιοῦτοι μὲν καὶ οἱ παρὰ τοῖς νεωτέροις παραδιδόμενοι πέντε τρόποι.*

[3]) Egregie fallitur Ritterus, qui l. c. pag. 292 Aenesidemum aperte (Sent. Hyp. I, 222) unum ex recentiorum Scepticorum principibus nominari dicit. cf. infra c. XVII.

[4]) Adv. Log. I, 345. Aenesidemum nullam quinque modorum habuisse notitiam, demonstrabimus, ubi de antiquiorum et recentiorum Scepticorum ratione dubitandi de omnibus pauca erunt dicenda. cf. infra c. XIII.

i. e. in *antiquiorum* Scepticorum numero sit ponendus. Quod si Sextus, quem quasdam doctrinae suae partes ex Aenesidemi libro petiisse satis apparet[1]), duobus tantum Scepticorum ordinibus statutis in antiquiorum Scepticorum ordine posuit Aenesidemum, id quare fecerit, quid putas esse caussae nisi quod post illum defecit Scepticorum successio? Illo enim tempore eam esse interruptam, etiam temporum edocemur ratione. Eam vero caussam ut in illis decem dubitandi modis esse positam statuamus fieri nequit, cum Sextus[2]) ipse dicat, non omnino rejicere Scepticorum recentiores illos decem modos, sed uti iis interdum, si ad rem esse videatur.

Alterum deinde argumentum inde petitur ex Sexto, quod ipse innumeris fere locis, qua est animi sinceritate, se non suam, sed scholae sive reliquorum Scepticorum doctrinam in medium proferre confitetur, *neque tamen usquam nomen ullius exhibet auctoris.* Quotiescunque vero aliquod argumentum infert ex *Aenesidemi* vel *Timonis* libris petitum, nunquam non nomen utriusque apponit[3]). Ex quo quum appareat, alia ratione uti Sextum, cum agit de Aenesidemo et Timone, alia, cum de ceteris iisque recentioribus Scepticis, quis ejus rei aliam

[1]) cf. Hypotyp. I, 222. Adv. Log. II, 40. 215. adv. Phys. I, 218.

[2]) Hypot. I, 177: *τοιοῦτοι μὲν καὶ οἱ παρὰ τοῖς νεωτέροις παραδιδόμενοι πέντε τρόποι, οὓς ἐκτίθενται οὐκ ἐκβάλλοντες τοὺς δέκα τρόπους, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ ποικιλώτερον καὶ διὰ τούτων σὺν ἐκείνοις ἐλέγχειν τὴν τῶν δογματικῶν προπέτειαν.* Quare apparet, non attingere mentem Scepticorum auctores recentiores fere omnes, qui illos decem modos ad quinque esse redactos putant. cf. Zeller. l. c. V, p. 27. Brandis. l. c. II, p. 208.

[3]) cf. Hypot. I, 180. 210. 222. III, 138. *adv. Log.* I, 345. 349. II, 8. 40. 215. 234. *adv. Phys.* I, 337. II, 38. 216. 233. adv. Eth. 42.— Hypot. I, 223. adv. Log. I, 8. 10. 30. adv. Phys. I, 57. II, 197. adv. Eth. 1. 20. 140. 141. 164. 171. adv. Grammat. 53. 305. adv. Geom. 2. adv. Mus. 66.

repperit caussam, quam quod ut Timon, ita et Aenesidemus ad aetatem a recentioribus Scepticis longe remotam est referendus? Nam Sexto solius Aenesidemi, non recentiorum Scepticorum libros praesto fuisse, aut neminem Scepticae doctrinae laude Aenesidemum aequasse, quis tam imprudens est ut audeat dicere, cum Sextus ipse[1]) Menodotum conferat cum Aenesidemo? Quare hoc statuendum esse putamus: Sextus cum totam vellet comprehendere Scepticorum rationem, etiam ab illis Scepticis, qui tempore superiore fuerant, rem repetiit eorumque doctrinae auctores Timonem et Aenesidemum adiit. Cum vero diversam esse ab Academia Scepticam doctrinam vellet demonstrare, non erat satis nominare sui temporis Scepticos, nisi illi licebat compellare eos quoque, qui Academicorum praeclarioribus fuerant aequales. *Hoc quidem patet ex Sexto, non cum recentioribus Scepticis, sed cum Timone et antiquioribus Aenesidemum esse componendum.*

Tertium denique argumentum, quo comprobatur, Aenesidemum a recentioribus Scepticis esse sejungendum atque ad antiquiores referendum, inde efficitur ex Sexto Empirico, quod si Aenesidemus novam instituisset Scepticae philosophiae scholam, *discipulos ejus nescio quo pacto brevissimo tempore parentis sui doctrinam reliquisse dicendum esset.* Nemo enim Scepticorum recentiorum usus est illis octo modis, quos exhibet Sextus[2]) iisque Aenesidemum illos refutasse tradit, qui caussam esse autumabant. Perraro quoque nobis occurrunt illi decem Aenesidemi modi[3]), passim vero quinque Scepticorum recentiorum. Sane quidem Sextus ab nonnullis tradi dicit illos octo locos, auctorem autem, qui eos exhibeat, neminem

[1]) cf. Hypot. I, 222.

[2]) Hypot. I, 180 ss.

[3]) In tribus Hypotyposeon libris sex tantum locis unus alterve invenitur adhibitus: II, 25. 26. 45. 55. 74. III, 50.

habet nisi solum Aenesidemum. Quinque vero illos recentiorum Scepticorum modos ipse sufficere concedit ad eos quoque confundendos, qui alicujus rei caussam esse disserunt [1]).

Cap. XI.

Non desunt alia antiquitatis testimonia, quibus adducimur, ut Aenesidemum in antiquiorum Scepticorum numero referendum esse statuamus neque secernendum ab omni cum Timone conjunctione. Atque Diogenes quidem Laërtius Aenesidemum et conjungit cum Timone [2]) et inter eos recenset, qui omnes vel Pyrrhonis ipsius discipuli vel paulo post eum fuerunt; quare ne illum quidem prorsus ab istis removere licet longo temporis intervallo [3]). Aristocles autem nominatis Pyrrhone et Timone Scepticorum, qui ipsi erant noti, ultimum posuit Aenesidemum [4]). Qua in re hoc probe est notandum, Aristoclem non leviter tantum attigisse Aenesidemum, sed commemorare illius et dubitandi modos (quos nescio quo pacto novem numero esse dicit) et malas elementorum rationes [5]). Hoc igitur facile intellegitur, earum rerum auctorem Aenesidemo non aequalem sed posteriorem fuisse. Cum autem haec adjungat Aristocles: *καὶ σχεδὸν οἱ μὲν κράτιστοι δοκοῦντες εἶναι τῶν τὴν ὁδὸν βεβαδικότων ταύτην εἰσὶν οὗτοι*, atque intellegat Pyrrhonem Timonem Aenesidemum, tria jam satis

[1]) Plura hac de re vid. infra. c. XIII.

[2]) cf. IX, 107: *τέλος δὲ οἱ Σκεπτικοί φασι τὴν ἐποχήν, ῃ σκιᾶς τρόπον ἐπακολουθεῖ ἡ ἀταραξία, ὥς φασιν οἵ τε περὶ τὸν Τίμωνα καὶ Αἰνησίδημον.*

[3]) Diog. IX, 102: *αὐτὸς μὲν γὰρ ὁ Πύῤῥων οὐδὲν ἀπέλιπεν, οἱ μέντοι συνήθεις αὐτοῦ Τίμων καὶ Αἰνησίδημος καὶ Νουμήνιος καὶ Ναυσιφάνης καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι.*

[4]) Ap. Euseb. l. c.

[5]) l. c. *κακὰς στοιχειώσεις.*

dilucide indicantur: primum cum Pyrrhone et Timone componendum esse Aenesidemum; deinde alios quoque notos fuisse Scepticos, qui cum fuerint minoris dignitatis, praetereuntur; denique haec omnia, quae refert de Scepticis Aristocles, non ad illum ipsum, sed ad aliquem ejus auctorem referenda esse. Cum enim Aristoclem ab anno circiter centesimo sexagesimo usque ad centesimum nonagesimum p. Chr. fuisse constet [1]), qui fieri potuit, ut in Scepticorum principum numero neque referret Menodotum neque Agrippam? Nam integrum prope praeterierat saeculum, postquam invenerat Agrippa illos quinque recentiorum Scepticorum modos dubitandi. Quibus modis cum in recentiorum Scepticorum ratione, neglectis illis decem primae partes sint tribuendae [2]), qui factum esse putas, ut omitterentur ab Aristocle, nisi concedamus, eum apud suos auctores illos non invenisse? Quis ergo dubitaverit, quin ea quae tradit de Scepticis Aristocles mutuatus sit ex auctore quodam qui fuit tempore multo superiore [3])? Hoc Aristocles ipse prodere videtur. Cum enim plura rettulerit de Aenesi-

[1]) cf. Zeller. l. c. IV, pag. 702 s. et indic. scriptorum, quorum libris usus est. pag. 6.

[2]) cf. supra. c. X.

[3]) Verisimile est, Aristoclem suam de Scepticis doctrinam debere Diocli Magnesio, id quod proxime ad verum accedit, cum et Diogenem ea quae tradit de antiquioribus Scepticis, petivisse ab eodem Diocle a Nitzschio demonstratum sit. Illa enim apud Diogenem (IX, 109): *Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεὺς ὁ πρὸ ἡμῶν* (Wachsmuth: *παρ' ἡμῶν*, quod vertere non licet per „popularis noster“, praesertim cum Nicaea urbs sit Bithyniae, Laërte Ciliciae, itaque omnino caret sensu) *ἐν τῷ πρώτῳ τῶν εἰς τοὺς Σίλλους ὑπομνημάτων, ἃ προσφωνεῖ Τιβερίῳ Καίσαρι* . . non Diogeni, sed Diocli conveniunt, qui priore parte primi p. Chr. saeculi fuit. (cf. Nitzsch. in Mus. Rhen. nov. XXIV, p. 206). Jam vero Aristoclem eodem fonte usum esse ac Diogenem, ipse satis aperte indicat, quippe qui eadem ex eodem auctore, Antigono Carystio, hausta referat. cf. Aristocl. ap. Euseb. l. c. et Diog. IX, 61. 62. 66.

demo ex ejusdem libro, tamen ad extremum hoc exhibet: *Αἰνησίδημός τις*, quod vix recte intellegas nisi exscriptum esse dicas sine judicio ex aliquo libro. Quae cum ita sint, cum Aristoclem et alios novisse Scepticae doctrinae addictos et suam Scepticorum notitiam alicui antiquitatis auctori debuisse constet, jam illud quoque apparet, quomodo intellegenda sint illa Aristoclis apud Eusebium: *Μηδενὸς δ' ἐπιστραφέντος αὐτῶν, ὡς εἰ μηδὲ ἐγένοντο τὸ παράπαν, ἐχθὲς καὶ πρώην ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ κατ' Αἴγυπτον Αἰνησίδημός τις ἀναζωπυρεῖν ἤρξατο*[1]) *τὸν ὕθλον τοῦτον*. Ex his enim verbis minime efficitur post Timonem vel paulo post ipsum atque multo ante Aenesidemum defecisse Scepticorum successionem[2]). Atque primum post ipsum Timonem eam non defecisse, apparet ex Sotione[3]). Quare si haec verba ita intellegenda putaverimus, ut iis defecisse aliquando Scepticorum successionem significari dicamus, nulla iis fides erit habenda, quippe ex quibus post Timonem ipsum factam esse eam defectionem sit statuendum. Deinde pronomen „*αὐτῶν*" potest referri aut ad Timonis sillos, qui nominantur ante illa ipsa verba atque ex iis tres versus exhibentur — id quod comprobatur hisce verbis: *Αἰνησίδημός τις ἀναζωπυρεῖν ἤρξατο τὸν ὕθλον τοῦτον* — aut ad Pyrrhonem et Timonem, de quibus loquitur Aristocles. Quod si pronomen *αὐτῶν* referendum putaveris ad sillos atque totum locum ita intellegendum, ut neminem ante Aenesidemum rationem habuisse dicas convitiorum istorum in alios philosophos congestorum, jam nullius momenti est ad Scepticorum successionem definiendam. Si vero pro-

[1]) Si quis verbis insistendum putaverit, non dicitur Aenesidemus revera resuscitasse Scepticam rationem, sed hoc tantum conatus esse, id quod disputatione nostra comprobabitur. cf. infra c. XIV, XV.

[2]) cf. Zeller. l. c. V, pag. 2, adn. 1 et pag. 7, adn. 1. Hoc ne uno quidem verbo indicat Aristocles. Brandis. l. c. II, p. 197, adn. 1.

[3]) Diog. Laert. IX, 115.

nomine *αὐτῶν* significari censueris Pyrrhonem et Timonem, illud „*μηδενὸς ἐπιστραφέντος*" duplici modo potest intellegi, illos aut a nullo esse impugnatos aut nullos invenisse discipulos. Quod si illos non esse impugnatos statueris, idem erit dicendum, nihil valere hunc locum ad quidquam de Scepticorum successione definiendum; sin nullos habuisse discipulos, prorsus a vero absunt illa verba. Nam et Pyrrhonem plures habuisse discipulos nemo est qui neget (Aristocles ipse[1]) Nausiphanem appellat Pyrrhonis discipulum), et Timonem quattuor nactum esse discipulos Sotion testatur[2]). Jam vero quidquid sentiendum putaveris, illis utique verbis: *Αἰνησίδημός τις ἀναζωπυρεῖν ἤρξατο τὸν ὕθλον τοῦτον*, si ita sunt intellegenda, ut dicamus primum resuscitasse Aenesidemum doctrinam Pyrrhonis aliquantum temporis exstinctam, ne minima quidem potest haberi fides, cum hunc honorem deberi Ptolemaeo Menodotus gravissimus sit auctor[3]). Quae cum ita sint, cum nobis sit eligendum, utrum Aristocli negemus fidem an ita intellegamus illius verba, ut ei fides possit haberi, quum nihil sit caussae cur Aristoclem fide indignum existimemus, ita explicanda sunt illius verba, ut eum non exstinctam esse post Timonem vel paulo post eum Scepticorum doctrinam et successionem dixisse[4]) statuamus, sed aut neminem impugnasse nec Pyrrhonem nec Timonem, aut neminem Timonis sillorum habuisse rationem ante Aenesidemum. Cum autem Aristocles jam antea nominaverit Aenesidemum praeter Pyrrhonem et Timonem atque

[1]) Ap. Euseb. l. c. XIV, 20: Epicurum tradit audivisse Nausiphanem Pyrrhonis discipulum (*ὕστερον δὲ καὶ Ναυσιφάνους τοῦ Πύῤῥωνος γνωρίμου*).

[2]) Diog. Laërt. IX, 115.

[3]) Diog. Laërt. l. c.

[4]) Id quod ne vis quidem verbi „*ἐπιστραφῆναι*" significat.

eum fecisse dicat, ut reviviscerent istae sordes, nobis quidem propius videtur accedere ad verum, totum illum locum intellegendum esse de Timonis sillis atque dicendum, Aenesidemum primum illis usum esse in libris suis. Quod si concesseris, hoc licet statuere, omnia quae nobis conservata sunt Timonis sillorum fragmenta, ad unum Aenesidemum esse referenda. Illa denique verba „ἐχθὲς καὶ πρώην“ nullius sunt momenti ad definiendam Aenesidemi aetatem, cum tribuenda sint non Aristocli, sed ejus auctori[1]). Quare ex Aristocle quoque satis dilucide cognoscitur, Aenesidemum ab recentioribus Scepticis esse segregandum atque referendum ad aetatem multo superiorem.

Cap. XII.

Jam transeundum nobis est ad evolvendos Latinorum auctorum libros. Ex iis autem testimonia, quae pertinent ad rem propositam, exhibent M. T. Cicero et L. Seneca. In quibus testimoniis explicandis invertendum nobis esse putamus temporum ordinem, cum certum et clarum sit Senecae testimonium, Ciceronis autem nostrae sententiae magis contrarium quam consentaneum videatur. Atque id est Senecae testimonium, quo jam nulla relinquatur dubitatio, quin quo ipse erat tempore defecerit Scepticorum successio. Ille enim „Academici“, inquit, „et veteres et minores nullum antistitem reliquerunt. Quis est, qui

[1]) Quid conferat ad proprium sensum verbis ἐχθὲς καὶ πρώην servandum, si referantur ad Aristoclem ipsum, apud illos, qui Aenesidemum ineunte primo p. Chr. saeculo fuisse dicunt, non intellegimus, cum ipsi Aristoclem fuisse exeunte saeculo secundo concedant. cf. Saesset. l. c. p. 25, qui innititur illis verbis; contrarium sentit Ritterus l. c. IV, p. 286, adn. 2.

tradat praecepta Pyrrhonis“[1])? Quum autem Senecam eum librum, qui inscribitur quaestiones naturales, ab anno sexagesimo secundo usque ad sexagesimum quintum p. Chr. scripsisse constet, si cum Zellero post Eubulum intercisam esse Scepticorum successionem statuerimus, vix quis poterit intellegere, quomodo fieri potuerit, ut Seneca neminem illo tempore tradere Pyrrhonis praecepta diceret. Si enim Sextum Empiricum, ut supra demonstravimus (qua in re a nobis stat ipse Zellerus), anno ducentesimo decimo mortuum esse statuerimus atque qui ante illum scholae Scepticorum praefuerunt, eorum unicuique vicenos quinos annos esse tribuendos, jam anno tricesimo quinto p. Chr. Aenesidemum exstitisse erit dicendum, integra scilicet aetate antequam librum suum scripsit Seneca. Qui igitur fieri potuit, ut Seneca ne nomen quidem noverit Aenesidemi? An urbs Alexandria adeo delituit, ut quid ibi ageretur, Romae penitus ignoraretur? An Aenesidemus, cui non ultimum locum inter Scepticos philosophos esse tribuendum[2]) omnes consentiunt, tanta obruebatur oblivione, ut ne notitia quidem nominis illius Romam perferretur? Jam vero si illud consideraverimus, secundum ipsius Zelleri sententiam Heraclidem et Ptolemaeum nullo interjecto temporis intervallo antecessisse Aenesidemo, cum jam Ptolemaeum professum esse Scepticam doctrinam ex Menodoti liqueat testimonio, qua re tandem adductus est Seneca, ut neminem illo tempore

[1]) Quaest. nat. VII, 32. 2. Hunc locum prorsus neglegit Saessetus. — Nullius quidem momenti esset hoc Senecae testimonium, si et Aenesidemus et recentiores Sceptici abjecissent nomen Pyrrhonis. Hoc vero nomen retinuisse et Aenesidemum et Scepticos recentiores, ex ipsis patet cum Aenesidemi tum Sexti Empirici librorum inscriptionibus. [Πυῤῥώνειοι λόγοι — Πυῤῥώνειοι ὑποτυπώσεις (sive Πυῤῥώνεια)].

[2]) Num suo jure hunc locum obtineat, videbimus infra c. XIV. XV. XVI.

tradere Pyrrhonis praecepta diceret, quippe quae jam ex annis multo plus quam quinquaginta tradi coepta essent? Ex quibus angustiis ut se extorqueat Zellerus eo adigitur, ut Scepticorum post Aenesidemum singulos brevi tempore dicat scholae principatum tenuisse[1]), id quod non solum nullo confirmatur testimonio, sed facile infringitur et diluitur. Menodotum enim ante annum centesimum quinquagesimum p. Chr. fuisse ex Galeno collegimus; quare efficitur, ex ipsius Zelleri sententia et Herodoto et Sexto tricenos annos esse tribuendos. Nisi igitur aut Senecae fides est neganda aut prorsus delituisse Alexandriae Aenesidemum dicendum, jam nihil restat, quam ut Senecae temporibus neminem tradidisse praecepta Pyrrhonis atque Aenesidemum tempore multo priore fuisse et post ipsum Scepticorum successionem defecisse statuamus.

Ciceronis autem testimonia minus certa atque, si quis leviter tantum ea attigerit, contraria nostrae sententiae esse videntur. Quae omnia, ne quam praeterire videamur difficultatem, hic apponimus: „Fuerunt etiam alia genera philosophorum, qui se omnes fere Socraticos esse dicebant, Eretricorum, Herillorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum; sed ea horum vi et disputationibus sunt jam diu fracta et exstincta“[2]). „Pyrrho Aristo Herillus jam diu abjecti.“ „Quae quod Aristoni et Pyrrhoni omnino visa sunt pro nihilo, ut inter optime valere et gravissime aegrotare nihil prorsus dicerent interesse, recte jam pridem contra eos desitum est disputari“. „Jam explosae ejectaeque sententiae Pyrrhonis Aristonis Herilli quod in hunc orbem, quem circumscripsimus, incidere non possunt,

[1]) l. c. V, p. 7, adn. 1.

[2]) De orat. III, 17, 62. Hunc unum locum exhibet Saessetus l. c. p. 23. cf. Ritter. l. c. IV, p. 283. Brandis. l. c. II, p. 198.

adhibendae omnino non fuerunt“[1]). „Ita propria est ea praeceptio Stoicorum Academicorum Peripateticorum, quoniam Aristonis Pyrrhonis Herilli jam pridem explosa sententia est, qui tamen haberent jus suum disputandi de officio, si rerum aliquem dilectum reliquissent, ut ad officii inventionem aditus esset“[2]). „Hae sunt sententiae, quae stabilitatis aliquid habeant, nam Aristonis Pyrrhonis Herilli non nullorumque aliorum evanuerunt“[3]). Quos locos si quis accuratius inspexerit, Ciceronem ipsum paulatim in mitius sententiam suam commutasse intelleget. Si enim eum locum, qui exstat in libro tertio de oratore (qui liber scriptus est anno quinquagesimo quinto a. Chr.), cum iis contuleris, qui sumpti sunt de libris decem vel undecim annis post conscriptis, aliquam deprehendas differentiam. In illo enim libro non nulla philosophorum genera dicit „fracta esse et exstincta“, in his vero, „eos esse abjectos“, „desitum esse contra eos disputari“, „eorum sententias non esse adhibendas ad disputationem nihilque habere stabilitatis“. Hoc quidem certo apparet ex hisce Ciceronis locis, ex multo jam tempore neminem contra Scepticos disputasse, quod majorum exemplum ipse imitatus est Cicero. Atque contra Aenesidemum ipsum neque unquam quisquam disputavit — nullum enim ejus rei reperitur vestigium — neque potuit disputare, quippe cum ne ipse quidem constiterit in Sceptica doctrina[4]). Deinde illud non praetermittendum, quod Aenesidemus, quum Cicero scriberet libros de oratore, fortasse jam e vita decesserat. Denique omnino non potest negari, fieri potuisse, ut Cicero ipse illis jam scriptis certior fieret de Aenesidemo. Hoc quidem est concedendum, eam vim

[1]) Fin. II, 11. 35; 13. 43; V, 8. 23.

[2]) Off. I, 2. 6.

[3]) Tuscul. disp. V, 30. 85.

[4]) cf. infra c. XV.

non inesse his locis, ut certi quidquam ex iis possit constitui. Quacunque autem ratione eos quis judicaverit intellegendos, *nunquam illis nostra sententia, qua Aenesidemum fuisse statuimus usque ad annum circiter sexagesimum a. Chr. atque post illum defecisse Scepticorum successionem, poterit explodi.*

Cap. XIII.

Atque jam ex ipsa Scepticorum antiquiorum et recentiorum doctrinae diversitate intellegitur, Aenesidemum non eidem aetati esse attribuendum ac recentiores Scepticos. Ea qualis et quanta sit differentia, qui illos decem modos, quos tradidisse Aenesidemum Sextus[1]) est auctor iisque tota nititur antiquiorum Scepticorum doctrina et instituta, contulerit cum illis quinque Agrippae[2]), a quibus pendent Sceptici recentiores, facile intelleget. Qua in re hoc quoque notandum est, hos quinque modos notos non fuisse Scepticis antiquioribus, recentiores illos decem aliquatenus retinuisse[3]). In explicanda autem hac illorum decem et quinque modorum differentia plurimum profecit Ritterus[4]), quem ita sequemur, ut ex ipsius doctrina nostram confirmemus sententiam. Atque Sceptici antiquiores id imprimis studebant, ut ea, quae homines *sensuum fide innixi* vera certaque habere solent, nullis rationibus confirmarent, ea vero, quae *videntur incredibilia, assererent atque defenderent.* Haec enim ut argumentis undecunque collatis eadem atque illa fide digna esse viderentur[5]), omni vi enitebantur efficere. Itaque Sceptici antiquiores, quo hominum animi tunc

[1]) Adv. Log. I, 345.
[2]) Sext. Emp. Hyp. I, 164. Diog. IX, 88.
[3]) cf. Sext. Emp. Hyp. I, 177.
[4]) l. c. IV, p. 306. 307. cf. Zeller. l. c. V, p. 17—20. 27. 28.
[5]) cf. Sext. Emp. Log. I, 443.

temporis erant propensi, sensuum fidei opponebant caussas a ratione petitas. Quo factum est, ut decem illorum modi ad unum fere omnes spectarent ad sensuum fidem impugnandam[1]). Recentiores vero Sceptici partes minimas tribuebant illis decem locis atque eos constituebant, *quibus imprimis impugnaretur omnis cognoscendi ratio neque ullam esse viam demonstraretur,* qua sine vitio cognosci ac tradi possent praecepta. Ita recentiores Sceptici, cum iidem nec penitus rejicerent illos decem modos, id sunt consecuti, ut ad quamdam perfectionem perducerent Sceptica instituta. Cum enim antiquiores Sceptici sensuum labefactassent fidem, recentiores autem nullam esse comprobare niterentur neque cognoscendi neque comprehendendi viam, qua quis posset ad veri cognitionem pervenire, id est effectum, ut jam nullum ex Scepticorum retibus pateret effugium. Illud tamen cum Rittero est tenendum, has tam diversas disputandi contra ceteros philosophos rationes non temere nec fortuito esse invectas, sed profectas ex diversorum temporum studiis, quibus factum est, ut Sceptici antiquiores se converterent ad impugnandam apparentium fidem, recentiores vero ipsis apparentibus, quibus, ne essent inertes, in vita obsequendum esse dicebant[2]), acquiescerent atque omnem scientiae pervestigationem, quae ultra illa vellet progredi, quasi inanem laborem rejicerent. Ea enim imprimis fuit antiquiorum et recentiorum Scepticorum diversitas, quod illi, ut omnem certam tollerent cognitionem, *sensibus fidem non esse habendam dicebant,* hi vero id potissimum impugnabant, *ullam esse rationem ac viam, qua ab iis, quae sensibus apparent, transire homines possent ad certam earum rerum cognitionem, quae sensibus non*

[1]) cf. Zimmermanni descript. philos. Pyrrhon. (Progr. Erlang. 1841) p. 5. 20. 21.
[2]) Sext. Emp. Hyp. I, 21 ss. et passim.

apparent. Itaque ullam conformari posse negabant artem et disciplinam. Hoc profecto satis apparet, non iisdem temporibus illatas esse illas tam diversas disputandi rationes. Aenesidemum vero in antiquiorum Scepticorum numero esse referendum cum jam supra[1]) confirmaverimus Sexti Empirici testimonio, ejus aetas quin temporis intervallo a recentiorum Scepticorum sit disjungenda, nulla jam erit dubitatio, si illum ne novisse quidem, non modo adhibuisse quinque horum modos demonstraverimus. Atque in promptu est demonstratio. Sextus enim Empiricus, cum rettulit octo Aenesidemi modos, quibus impugnabat atque convincebat eos, qui caussam esse dicebant, haec adjicit, Aenesidemum ipsum concessisse, fieri posse, ut locis quibusdam mixtis, decem illorum compositione constitutis, nonnulli caussarum defensores redarguerentur. Sextus vero sufficere arbitratur ad omnem caussam tollendam illos quinque modos, id quod revera sic se habere iis, quae sequuntur, comprobat[2]). Neque quisquam recentiorum Scepticorum usus est illis octo modis. Nonne igitur luce est clarius, Aenesidemum ne ullam quidem notitiam habuisse illorum quinque modorum Agrippae? Agrippae enim quin sint tribuendi, in dubium non licet vocare[3]). Quod si cum Rittero aliisque Aenesidemum ineunte primo p. Chr. saeculo fuisse statuerimus, non ita multo post exstitisse Agrippam, paucis habemus comprobare. Ritterus enim ipse[4]) illos duos dubitandi modos, qui exstant apud Sextum Empiricum[5]), ad Menodotum referendos esse putat. Itaque

---

[1]) cf. Cap. X.

[2]) Sext. Emp. Hypot. I, 185. 186: *οὐκ ἀδύνατον δέ φησι (Αἰνησίδημος) καὶ κατά τινας ἐπιμίκτους τρόπους, ἠρτημένους ἐκ τῶν προειρημένων, διαπίπτειν ἐνίους ἐν ταῖς αἰτιολογίαις. τάχα δ' ἂν καὶ οἱ πέντε τρόποι τῆς ἐποχῆς ἀπαρκοῦσι πρὸς τὰς αἰτιολογίας. ἤτοι γὰρ κτλ.*

[3]) cf. Diog. IX, 88.

[4]) l. c. IV, p. 297.

[5]) Hypot. I, 178.

qui quinque illos invenit, Menodoto prior fuerit necesse est. Quo fit, ut Agrippam fortasse jam Zeuxidi fuisse aequalem sit dicendum[1]). Qui igitur fieri potuit, ut diversissimae disputandi rationes iisdem fere temporibus in eadem secta exorirentur? An tam subito ac tam funditus hominum studia et rerum ordinem putabimus esse mutata primo p. Chr. saeculo idque spatio annorum fere quinquaginta? Quis est, qui hoc et velit et possit comprobare? Quare aut illud est demonstrandum, Aenesidemum non retinuisse neque adhibuisse illos decem modos (quod fieri nequit, immo contrarium constat ex Sexto et Aristocle), aut concedendum, illum recentioribus Scepticis non esse adjungendum, sed ad tempus multo superius referendum. Nisi quis igitur Aenesidemo velit tribuere philosophandi rationem, quam eum esse secutum nullo probatur antiquitatis testimonio[2]), nostram sententiam tenemus esse recipiendam. At Saessetus[3]) ex ipsius Sexti loco[4]) efficere conatur, Aenesidemi doctrinam affine aliquid habuisse doctrinae recentiorum Scepticorum. In illa enim contineri eum ex quinque dubitandi modis, a quo omnes fere reliqui pendeant, illum scilicet, quo omnia rejiciuntur ad progressum in infinitum. Sed egregie fallitur Saessetus; totum enim illum locum minime licet tribuere Aenesidemo. Nam quae sequuntur a sect. 48, ea non esse Aenesidemi, jam inde apparet, quod sect. 50. nominatim infertur ille modus ex quinque recentiorum Scepticorum, quo omnia ad progressum in infinitum rediguntur[5]). Neque vero desunt aliae rationes, quibus

---

[1]) cf. infra c. XXXII.

[2]) cf. Zimmermann. l. c. p. 21: Nullum invenitur vestigium, quo indicetur, antiquiores Scepticos cognoscendi rationem ipsam impugnasse.

[3]) l. c. pag. 91.

[4]) Adv. Log. II, 40—54.

[5]) *Καὶ οὕτως εἰς ἄπειρον οἰχομένης τῆς ζητήσεως ἀνεύρετον γίνεται τὸ ἀληθές.*

illud satis superque possit comprobari. Et primum Sextus ipse dicit[1]), virtute (δυνάμει) quidem Aenesidemum quoque similes (ὁμοιοτρόπους) inferre dubitandi rationes. Ea similitudo cognoscitur in iis, quae leguntur sect. 40—47. (magnam enim exhibent similitudinem eorum, quae continentur sect. 17—36), minime vero in iis, quae sect. 48—54. Deinde plurimum differt ipsa locutio; nam sect. 40—47. mirum brevitatis studium deprehendas, multam in latum diffusionem sect. 48—54. Tum sect. 47. verbis: *οὐκ ἄρα ἔστι τι ἀληθές* aperte infertur conclusio. Postea cur dixerit Sextus Aenesidemum „δυνάμει" similes inferre dubitandi rationes, si eandem iisdem verbis intulit, non possumus intellegere. Maxime denique eo excluditur Saesseti sententia, quod sect. 48—51 (agitur de caussa, quam nullam esse Aenesidemum propria quadam ratione confirmasse jam satis est demonstratum) Sextus eodem utitur argumento, quod jam exstat Hypot. I, 186. Hoc vero loco illud Sexti non Aenesidemi esse, satis superque apparet[2]). Quae cum ita sint, cum omnibus indiciis eum locum (sect. 48—51) Sexti ipsius, non Aenesidemi esse appareat, prorsus rejicienda est Saesseti sententia atque illud dicendum, jam ex ipsius Aenesidemi doctrina apparere, illi nihil esse

[1]) l. c. 40.

[2]) Hypot. I, 186: *εἰ δὲ διαφωνεῖ, ἀπαιτηθήσεται (τὶς) καὶ ταύτης τὴν αἰτίαν, καὶ φαινομένην μὲν φαινομένης ἢ ἄδηλον ἀδήλου λαμβάνων εἰς ἄπειρον ἐκπεσεῖται.* cf. adv. Log. II, 49: *εἶτα ταύτην αὐτὴν τὴν αἰτίαν πῶς λαμβάνουσιν; ὡς φαινομένην αὐτοῖς ἢ ὡς μὴ φαινομένην; εἰ μὲν ὡς φαινομένην, ψεύδονται λέγοντες τὴν ἀλήθειαν μὴ ὑπάρχειν καθὸ φαίνεται· εἰ δ᾽ὡς μὴ φαινομένην, πῶς τὸ μὴ φαινόμενον αὐτοῖς εἰλήφασιν; ἐξ αὐτοῦ ἢ δὶ ἄλλου; καὶ ἐξ αὐτοῦ μὲν ἀδύνατον· οὐδὲν γὰρ μὴ φαινόμενον ἐξ αὐτοῦ ληπτόν ἐστιν· εἰ δὲ δὶ ἄλλου, ἐκεῖνο πάλιν πότερον φαινόμενόν ἐστιν ἢ μὴ φαινόμενον; καὶ οὕτως εἰς ἄπειρον οἰχομένης τῆς ζητήσεως ἀνεύρετον γίνεται τὸ ἀληθές.*

cum recentioribus Scepticis commune et ejus aetatem ad tempus superius referendam[1]).

Cap. XIV.

Atque jam eo processit nostra disputatio, ut innixi historiae fide Aenesidemum nullam scholam instituisse demonstremus, cui aliquantum dignitatis sit tribuendum. Quod confirmatur cum Ciceronis testimoniis, quae supra attulimus, tum ipsius philosophiae cursu. Quandocunque enim novus aliquis exstiterat philosophus novamque professus erat doctrinam, multi ad eum confluebant discipuli eique adhaerebant. Hoc et in Pyrrhone et in Timone animadvertere licet, idemque accidit Zeuxidis vel Antiochi aetate, cum resuscitaretur Scepticorum doctrina. Ea enim est hominum natura, ut ipsa cujusque rei novitate animi eorum alliciantur atque capiantur, licet non nunquam ad tempus retineantur. Quis vero nominaverit discipulos Aenesidemi? Unius nomen potest recenseri ex Diogene, Zeuxippi, de quo praeter nomen prorsus nihil usque ad nostram pervenit memoriam. Quodsi quis dicendum putaverit, adeo non commendatam neque probatam esse illius temporis hominibus resuscitatam ab Aenesidemo Pyrrhonis doctrinam, ut unus tantum isque plane ignotus sectator eam amplexatus sit, num putas futurum fuisse, ut paulo post magis commendaretur atque probaretur? Immo vero illud erit dicendum, Aenesidemum inter antiquiores Scepticos easdem fere partes suscepisse, quas inter recen-

[1]) Ad quantum temeritatis sine ullo certo judicio progrediatur Saessetus in doctrina Aenesidemi vindicanda, ex his ejus verbis licet intellegere (l. c. pag. 88): „Nous avons donc le droit de nous servir de Sextus pour éclairir les côtés obscurs et combler les lacunes de l'argumentation d'Aenésidème, et lui rendre ainsi tout à fois sa vigueur et sa clarté." Hoc jus non habet, sed arripit Saessetus.

tiores Sextus, ut scilicet illorum doctrinam litteris expressam traderet posteritati. Quod igitur dicit Saessetus[1]): „C'est aussi ce (sc. Academicorum refutatio) qui le plaça à la tête d'une école nombreuse et florissante, qui dura trois siècles et compta Ménodote Agrippa Sextus parmi ses adepts", mera est fictio.

Cap. XV.

Ut denique rem altius inquiramus, non is fuit Aenesidemus, qui potuerit novam Scepticae philosophiae scholam instituere. Neque enim fuit in illo satis firmitatis in rebus cognoscendis neque satis constantiae, quo factum est, ut prorsus diversa etiam num de ipso praedicentur. Et Saissetus quidem illum laudat hominem vere Pyrrhonium („Pyrrhonien absolu")[2]), Ritterus vero dubitat, sitne recte Scepticus dicendus necne[3]). Atque illum primo cum Academia ita fuisse conjunctum, ut propensior esset ejus animus ad tollendam omnem certo cognoscendi atque comprehendendi rationem, jam supra Photii testimonio comprobavimus. Neque quisquam hac in re a nobis dissentit. Academia autem quum penitus defecisset ab antiqua sinceraque de omnibus dubitandi ratione atque se totam convertisset ad Stoïcorum praecepta, ea relicta ad Pyrrhonis doctrinam confugit Aenesidemus, neque tamen in ea constitit. Quae cum ab ipso omnibus ex partibus esset explicata, non ita

[1]) l. c. pag. 78.

[2]) l. c. pag. 69.

[3]) l. c. IV, pag. 287: „Hic vir num vere placita Scepticorum amplexatus sit, nondum pro certo constat." cf. Zimmermann. l. c. pag. 12. 13, qui dicit, illum philosophiam Pyrrhoniam habuisse pro via, qua perveniatur ad philosophiam Heracliteam, ob eamque caussam cum discipulis suis non certo in Pyrrhoniorum numero posse referri.

animum ejus cepisse neque usque eo illi probata esse videtur, ut non firmius quiddam atque constantius quaereret. Sive enim ea quam instituerat via procedendum putabat, sive ad quem pervenire intendebat finem Sceptica ratio, eum tutiorem evasurum, si certiore atque firmiore niteretur fundamento, usque ad Heracliti doctrinam progressus est Aenesidemus[1]). Jam vero Heraclito cum placeret, in iisdem rebus diversa existere (velut mel et dulce et amarum esse, quia ejus dulcedinem sentiunt sani, icterici amaritudinem), Scepticis autem, diversa in iisdem rebus sensibus percipi sive apparere, in promptu erat dicere, quia diversa inessent, ideo in rebus apparere diversa. Ita fieri poterat, ut Scepticorum ratio quasi recta via videretur ad Heracliti doctrinam. Hoc uno testimonio jam satis comprobatur, defecisse Aenesidemum a Pyrrhone ad Heraclitum atque a sincera de omnibus dubitandi ratione ad placita statuenda. Quod ut magis confirmemus, omnia Aenesidemi placita, quae tradidit nobis Sextus, hic exhibebimus.

Atque primum quidem tradit nobis Sextus[2]), sensisse

[1]) Sext. Emp. Hypat. I, 210.

[2]) Hypot. III, 138: *Κατ' οὐσίαν τε οἱ μὲν σῶμα αὐτὸν (χρόνον) ἔφασαν εἶναι, ὡς οἱ περὶ τὸν Αἰνησίδημον (μηδὲν γὰρ αὐτὸν διαφέρειν τοῦ ὄντος καὶ τοῦ πρώτου σώματος).* Adv. Phys. II, 216. 217: *Σῶμα μὲν οὖν ἔλεξεν εἶναι τὸν χρόνον Αἰνησίδημος κατὰ τὸν Ἡράκλειτον· μὴ διαφέρειν γὰρ αὐτὸν τοῦ ὄντος καὶ τοῦ πρώτου σώματος· ὅθεν καὶ διὰ τῆς πρώτης εἰσαγωγῆς κατὰ ἓξ πραγμάτων τετάχθαι λέγων τὰς ἁπλᾶς λέξεις, αἵτινες μέρη τοῦ λόγου τυγχάνουσι, τὴν μὲν χρόνος προσηγορίαν καὶ τὴν μονάς ἐπὶ τῆς οὐσίας τετάχθαι φησίν, ἥτις ἐστὶ σωματική, τὰ δὲ μεγέθη τῶν χρόνων καὶ τὰ κεφάλαια τῶν ἀριθμῶν ἐπὶ πολλαπλασιασμοῦ μάλιστα ἐκφέρεσθαι. Τὸ μὲν γὰρ νῦν, ὃ δὴ χρόνου μήνυμά ἐστιν, ἔτι δὲ τὴν μονάδα οὐκ ἄλλο τι εἶναι ἢ τὴν οὐσίαν, τὴν δὲ ἡμέραν καὶ τὸν μῆνα καὶ τὸν ἐνιαυτὸν πολλαπλασιασμὸν ὑπάρχειν τοῦ νῦν, φημὶ δὲ τοῦ χρόνου, τὰ δὲ δύο καὶ τρία καὶ δέκα καὶ ἑκατὸν πολυπλασιασμὸν εἶναι τῆς μονάδος.* Haec omnia prorsus aliena esse a Sceptica ratione quisque ultro concedet.

cum Heraclito Aenesidemum, tempus esse corpus, cum homo vere Scepticus neque utrum sit ullum corpus necne neque utrum sit tempus necne neque posse negari neque affirmari dicendum statuat. Hoc quoque patet ex iisdem Sexti locis, Aenesidemum in iis, quae sentiebat de primo omnium corpore, ex quo nascerentur reliqua, stetisse ab Heraclito, multaque contendisse alia, a quibus longe abhorret hominis vere Sceptici animus. Haec vero quomodo sint intellegenda, hic demonstrare ab nostro alienum est proposito: satis est, ipsis verbis docuisse, Aenesidemum non stetisse Sceptica philosophandi ratione. Deinde Sextus testatur, Aenesidemum cum Heraclito aërem omnium rerum principium statuisse[1]) atque eundem dixisse partem et idem esse ac totum et diversum ab eo[2]). Tum et Aenesidemum tradit et Heraclitum differentiam inferre eorum, quae sensibus apparent, **atque certum veri falsique statuere judicium**: ea enim quae omnibus eodem modo appareant, esse vera, falsa autem, quae uni alterive proprio quodam modo[3]). Haec vero quam longe absint a Scepticorum ratione, qui Sexti evolverit libros, passim

[1]) Adv. Phys. II, 233: *τό τε ὂν κατὰ τὸν Ἡράκλειτον ἀήρ ἐστιν, ὥς φησιν ὁ Αἰνησίδημος.*

[2]) Adv. Phys. I, 337: *Ὁ δὲ Αἰνησίδημος κατὰ Ἡράκλειτον καὶ ἕτερόν φησι τὸ μέρος τοῦ ὅλου καὶ ταὐτόν· ἡ γὰρ οὐσία καὶ ὅλη ἐστὶ καὶ μέρος, ὅλη μὲν κατὰ τὸν κόσμον, μέρους δὲ κατὰ τὴν τοῦδε τοῦ ζῴου φύσιν. τὸ δὲ μόριον καὶ αὐτὸ λέγεται διχῶς, καὶ ὁτὲ μὲν ὡς διαφέρον τοῦ ἰδίως νοουμένου μέρους, καθά φασιν αὐτὸ μέρος μέρους εἶναι, καθάπερ δάκτυλον μὲν τῆς χειρός, οὖς δὲ τῆς κεφαλῆς, ὁτὲ δ' ὡς μὴ διαφέρον, ἀλλὰ μέρος ὂν τοῦ ὅλου, καθό τινές φασι κοινῶς μόριον εἶναι τὸ συμπληρωτικὸν τοῦ ὅλου.*

[3]) Adv. Log. II, 8: *Οἱ δὲ περὶ τὸν Αἰνησίδημον καθ' Ἡράκλειτον καὶ τὸν Ἐπίκουρον ἐπὶ τὰ αἰσθητὰ κοινῶς κατενεχθέντες ἐν εἴδει διέστησαν· οἱ μὲν γὰρ περὶ τὸν Αἰνησίδημον λέγουσί τινα τῶν φαινομένων διαφοράν, καί φασι τούτων τὰ μὲν κοινῶς πᾶσι φαίνεσθαι, τὰ δὲ ἰδίως τινί, ὧν ἀληθῆ μὲν εἶναι τὰ κοινῶς πᾶσι φαινόμενα, ψευδῆ δὲ τὰ μὴ τοιαῦτα.*

cognoscet, cum Sceptici non modo non quidquam esse verum aut falsum, sed ne omnino quidem neque verum neque falsum esse arbitrentur. Postea Sextus est auctor, Aenesidemum docuisse, mentem esse extra corpus atque idem ac sensus, per quos quasi per foramina prospiceret[1]); illum denique duo universa motus genera statuisse, unum mutationis, alterum transitus a loco in locum[2]). Haec vero omnia si quis consideraverit, nonne ultro concedet, Aenesidemum omnem deseruisse Scepticorum rationem? Qui tandem fieri potuit, ut ita resuscitaret Pyrrhonis doctrinam, ut novae Scepticae scholae quasi parens existeret, praesertim cum ex ipsorum Scepticorum institutis ne Scepticus quidem sit appellandus? Nam a Timone usque ad Sextum Empiricum ea vigebat sententia apud Scepticos, qui una de re quidquam definiret vel ullius rei obscurae cogitationem cogitationi praeponendam putaret, eum jam non licere Scepticum dicere[3]). Quare hoc est tenendum, Aenesidemum, si revera instituit scholam, instituisse non Scepticam, sed Heracliteam. Illum enim Sceptica ratione relicta transiisse ad Heraclitum, ipsis Sexti verbis satis declaratur[4]).

[1]) Adv. Log. I, 349. 350: *Οἱ δὲ εἶναι μὲν ἔλεγον (διάνοιαν), οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ δὲ τόπῳ περιέχεσθαι, ἀλλὰ οἱ μὲν ἐκτὸς τοῦ σώματος, ὡς Αἰνησίδημος κατὰ Ἡράκλειτον .... οἱ δὲ αὐτὴν εἶναι τὰς αἰσθήσεις, καθάπερ διά τινων ὀπῶν τῶν αἰσθητηρίων προκύπτουσαν, ἧς στάσεως ἦρξε Στράτων τε ὁ φυσικὸς καὶ Αἰνησίδημος.*

[2]) Adv. Phys. II, 38: *Οἱ δὲ πλείους, ἐν οἷς εἰσι καὶ οἱ περὶ τὸν Αἰνησίδημον, διττήν τινα κατὰ τὸ ἀνωτάτω κίνησιν ἀπολείπουσι, μίαν μὲν τὴν μεταβλητικήν, δευτέραν δὲ τὴν μεταβατικήν κτλ.*

[3]) Hypot. I, 223: *Ὁ γὰρ περὶ ἑνὸς δογματίζων ἢ προκρίνων φαντασίαν φαντασίας ὅλως κατὰ πίστιν ἢ ἀπιστίαν περί τινος τῶν ἀδήλων, τοῦ δογματικοῦ γίνεται χαρακτῆρος, ὡς δηλοῖ καὶ ὁ Τίμων διὰ τῶν περὶ Ξενοφάνους αὐτῷ λεγομένων.*

[4]) l. c. 210. cf. Ritter. l. c. IV, p. 288. Zeller. l. c. V, pag. 22 ss. Brandis. l. c. II, pag. 205 ss. Saisset. l. c. pag. 36.

Cap. XVI.

Idem vero Sextus quaedam nobis subministrat, quibus potest comprobari, Aenesidemi discipulos non Scepticam, sed Heracliteam doctrinam esse professos. Quotiescunque enim profert aliquid ex Aenesidemi libris, quod pertinet ad Scepticam doctrinam, semper solius Aenesidemi exhibet nomen, ut Hyp. I, 180: *καὶ δὴ Αἰνησίδημος ὀκτὼ τρόπους παραδίδωσι;* cf. I, 222; adv. Log. II, 40: *δυνάμει καὶ ὁ Αἰνησίδημος τὰς ὁμοιοτρόπους κατὰ τὸν τόπον ἀπορίας τίθησιν;* 215: *ὁ δὲ Αἰνησίδημος ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν Πυῤῥωνείων λόγων...;* 234: *ὁ παρὰ τῷ Αἰνησιδήμῳ περὶ τοῦ σημείου ἐρωτηθείς (λόγος);* adv. Log. I, 345: *τοὺς παρὰ τῷ Αἰνησιδήμῳ δέκα τρόπους.* Et duobus locis, ubi in testimonium vocatur Aenesidemus, adv. Phys. II, 233 ad Heracliti doctrinam comprobandam et adv. Eth. 42, ubi dixisse traditur, omnes homines id, quo caperentur animi, habere pro bono, ejus solius extat nomen. Ubi vero Aenesidemum Heracliteam doctrinam amplexatum esse indicat, exhibet vel „*ὁ Αἰνησίδημος κατὰ Ἡράκλειτον*“, ut adv. Log. I, 349. Phys. I, 337; II, 216, vel „*οἱ περὶ τὸν Αἰνησίδημον*“, ut Hyp. I, 210; III, 138; adv. Log. II, 8 (*οἱ δὲ περὶ τὸν Αἰνησίδημον καθ' Ἡράκλειτον*); adv. Phys. II, 38. Itaque quamvis ultro concedamus, illud „*οἱ περὶ τὸν Αἰνησίδημον*“ nimia severitate non esse explicandum, hoc tamen nobis nostro jure licet contendere, quicunque hos Sexti locos inter se comparaverit, eum facere non posse quin confiteatur, Aenesidemum, si revera instituit scholam, non Scepticam instituisse, sed Heracliteam[1]).

[1]) Quod igitur dicit Brandis. l. c. II, p. 208: „Scepsis ab Aenesidemo ad Heracliti doctrinam traducta probata esse tunc temporis hominibus non videtur“, tantum abest, ut verum sit, ut Scepticam ejus doctrinam non probatam esse sit dicendum.

Cap. XVII.

Hic jam aliquantulum in nostra disputatione subsistendum putamus, ut doctrinae nostrae quasi summam paucis complectamur et quae inde sequantur indicemus. Atque huc omnis nostra redit disputatio: Pyrrhonis doctrina ipsius Timonis tempore et postea ab Academicis recepta una Academicorum et Scepticorum secta est constituta. Quo factum est, ut nomen quidem Pyrrhoniorum usque ad Ptolemaeum evanesceret, doctrina vero Pyrrhonis neque penitus exstingueretur neque ita cum doctrina Academicorum confunderetur, ut obrueretur oblivione atque omnis Pyrrhonis et Scepticorum deleretur memoria. Immo nunquam non erant, qui illam integram in ipsa Academia retinerent et quodammodo servarent successionem. Hoc ut statuamus adducimur primum quidem Euphanoris et Eubuli mentione in Diogenis serie. Eorum enim nomina ad lacunam implendam esse commenta, nisi summa compellamur necessitate, nefas esse putamus statuere. Deinde ejus rei haud spernendum documentum esse perhibemus ipsum Ptolemaeum, quem acquisisse (*ἀνεκτήσατο*) Pyrrhonis instituta quomodo dicere potuerit Menodotus, si tunc temporis denuo erant resuscitanda, non intellegimus. Neque minus nostram sententiam inde confirmari arbitramur, quod Aenesidemus demum omnem Scepsis Pyrrhoniae cum Academia conjunctionem disrupit. Hic vero non ita instauravit Pyrrhonis doctrinam, ut nova quaedam schola exordium sumeret: immo ipsius opera Pyrrhoniorum et doctrina et successio exstincta est. Quod nobis magis probatum iri putamus, cum illorum hominum studia consideraverimus. Atque hoc quidem statuimus, hominum qui tunc erant animis non ita valde probatam neque commendatam fuisse dubitandi de omnibus rationem. Hanc enim rationem non temere neque fortuito ab Academicis esse relictam atque assumptam magna ex parte Stoicorum doctrinam,

sed temporum cursu mutatis hominum studiis id esse effectum, quis est qui neget? Nescio quidem an habuerit in animo Aenesidemus vere restituere Pyrrhonis doctrinam eaque allicere discipulos[1]; sed eventus eum fefellit. Grassari enim incipiebat tunc temporis illa philosophorum secta, quam dicunt eclecticam. Quam qui secuti sunt cum undecunque quod sibi placuisset eligendum putaverint, qui fieri potuit, ut eodem tempore una quaedam schola caperet incrementa? Jam vero istius sectae initia ab illis temporibus esse repetenda Suidas est auctor, qui Potamonem, quem Diogenes principem fuisse ad istam sectam instituendam dicit[2], ante Augustum et post illum fuisse testatur. Neque enim Potamonem exeunte secundo p. Chr. saeculo fuisse (id quod sentit Zellerus[3]) Nietzschius docuit[4], qui Diogenem libri sui prooemium ex Diocle compilasse demonstravit; quare illius prooemii verba: *ἔτι δὲ πρὸ ὀλίγου καὶ ἐκλεκτικὴ κτλ* non ad Diogenis, sed ad Dioclis aetatem sunt referenda. Hunc autem ineunte primo p. Chr. saeculo fuisse idem exploravit Nietzschius[5]. Quis tunc temporis vellet amplexari certam quamdam doctrinam, quum ex qualibet vel recipere vel rejicere liceret quod cuique libuisset? Quare factum est, ut omnis Sceptica ratio et Academicorum et Pyrrhoniorum intercideret atque illa converteretur ad doctrinam Stoïcam, haec ad Heracliteam. Ut vero ex his, quae adhuc disputavimus, summam faciamus, haec sunt statuenda:

---

[1]) Minime absurdum est dicere, Aenesidemum ob eam rem se convertisse ad Pyrrhonis doctrinam eamque libro suo exposuisse, ut per eam aditus sibi pateret ad Heracliti philosophiam. cf. Sext. Emp. Hyp. I, 210.

[2]) Prooem. 21.

[3]) l. c. IV, p. 743 et adn. 2.

[4]) In Mus. Rhen. nov. XXIV, p. 205. 206.

[5]) l. c. XXIII, p. 638.

I. Primum Diogenem duas Scepticorum series in unam conflasse, quae nobis in duas est dividenda.

II. Deinde hanc divisionem faciendam esse post Aenesidemum et priori seriei tribuendos Scepticos a Pyrrhone usque ad Aenesidemum, alteri a Zeuxippo usque ad Saturninum. Atque Aenesidemum priori seriei esse tribuendum jam satis constat. Zeuxippum vero ut ad alteram referamus, imprimis adducimur testimoniis Ciceronis, deinde omnibus, quae de ipsius Aenesidemi doctrina atque institutis disseruimus. Si enim reliquit discipulos Aenesidemus, ex Sexti testimoniis eos non Pyrrhonis, sed Heracliti doctrinae addictos fuisse dicendum est. Neque verisimile est, futurum fuisse, ut Diogenes Zeuxippum et Zeuxidem in Scepticorum numero referret, nisi eos Scepticos nominatos deprehendisset[1].

---

[1]) Hanc nostram sententiam ipse excludere videtur Diogenes IX, 106, ubi haec exstant: *Ζεῦξις ὁ Αἰνησιδήμου γνώριμος*. Verbum „*γνώριμος*“ enim significat discipulum alicujus (cf. Suidas: *γνώριμοι. φοιτηταί.* Diog. IX, 67. Sext. Emp. adv. Log. I, 8. Stephan. Thes. verb. *γνώριμος*). Itaque Zellerus (l. c. V, p. 4, adn. 2) Zeuxidem ipsum Aenesidemum audivisse dicit. Illud quoque accedit, quod et Galenus [In Hippocr. de humor. I, 24. (Vol. XVI, p. 196); in Hipp. Epid. sext. I, 1 (XVII, a. 793); in Hipp. aphor. VII, 70 (XVIII, a. 187)] Zeuxidem in iis numerat, qui primi interpretati sunt libros Hippocratis. Quae omnia nos cogere videntur, ut Zeuxidem cum antiquioribus Scepticis conjungamus. Sed iis minime inesse hanc vim paucis licet demonstrare. Primum enim ne Zellerus quidem ipsis Diogenis verbis ad suam adducitur sententiam, sed compulsus angustiis temporis, quippe cum plures inveniat nominari Scepticos quam pro temporis spatio, quod iis tribuendum putat. Quibus angustiis ut se expediat, singulos recentiorum Scepticorum brevissimo temporis spatio scholae praefuisse contendit atque duos ex iis ipsos magistrorum magistros audivisse (cf. l. c. V, p. 7, adn. 1). Hi duo cum intellegendi sint Zeuxis et Theodas, illud monendum, Theodam audivisse magistri sui magistrum, ne uno quidem verbo indicare Diogenem. Deinde ex nostra quoque ratione Zeuxis integro saeculo

III. Tum illud dicendum, falli omnes, qui Aenesidemum obtinuisse arbitrantur praestantissimum inter Scepticos locum[1]). Qui cum omnes nitantur illis Sexti verbis[2]): *οὗτοι γὰρ μάλιστα ταύτης προέστησαν τῆς στάσεως* (sc. *Μηνόδοτος καὶ Αἰνησίδημος*), hic locus accura-

fuit ante Galenum, et ex Galeno ipso licet conjicere, illum fuisse certe post annum vicesimum p. Chr. (cf. infra c. XXVI). Tum Diogenes ipse in Scepticorum serie Zeuxidem aperte dicit audivisse Zeuxippum, non Aenesidemum. Quod maxime est attendendum, cum Diogenes, si plures unum habuerunt magistrum, plane hoc indicet. In uno Zeuxide illum id omisisse quis comprobaverit? Ipsum igitur, cum Zeuxidem IX, 106 Aenesidemi discipulum et IX, 116 Zeuxippi fuisse dicat, sibi non constare apparet. Postea illis Diogenis verbis „*γνώριμος τοῦ Αἰνησιδήμου*" nimiam fidem non esse tribuendam, ex ipso Diogene intellegitur, quippe qui IX, 102 Timonem Aenesidemum Numenium Nausiphanem una Pyrrhonis „*συνήθεις*" nominet, cum Aenesidemus non minus quam ducentis annis post Pyrrhonem fuerit; nam verbum „*συνήθης*" idem fere significat ac *γνώριμος* (cf. Stephan. Thes. verb. *συνήθης*; Plat. de republ. 2. p. 375. ε: *πρὸς τοὺς συνήθεις τε καὶ γνωρίμους*). Denique illo Diogenis loco (IX, 106) Zeuxis aperte cum Antiocho et Apella conjungitur — qui quin inter Scepticos recentiores sint numerandi nemo est qui dubitet — atque quodammodo opponitur cum illis Aenesidemo sive potius ad confirmandam Scepticorum doctrinam adhibetur. Ut igitur IX, 102 Aenesidemus recte inter omnes antiquiores Scepticos recensetur, ita IX, 106 Zeuxidem ad recentiores Scepticos referendum putamus. Quare nescio an Diogenes Zeuxidis altam Aenesidemi librorum ac doctrinae notitiam cum Aenesidemi ipsius familiaritate confuderit, nisi forte quis dicendum putaverit, eum Zeuxidem, medicum empiricum eundemque Scepticum philosophum confudisse cum altero Zeuxide, fortasse cum illo medico Herophileo, cujus mentio fit apud Strabonem XII, 5. 20. p. 580. Ejus quidem aetas post medium saeculum primum a. Chr. statuenda videtur. cf. Zeller. l. c. V, 4, adn. 2. Nostra vero sententia standum putamus, in ipso Aenesidemo ejusque opera Scepsim Pyrrhoniam et Scepticorum successionem defecisse.

[1]) cf. Zeller. l. c. V, p. 5, adn. 1. Brandis. l. c. II, p. 197, adn. 84. Saisset. l. c. p. 39. 69. 78.

[2]) Hypot. I, 222.

tius nobis est explicandus. Et longe quidem abesse a vero eos, qui in verbo „*στάσις*" explicando exemplum sequuntur Fabrici[1]) atque illud sectam sive scholam significare putant, in promptu est demonstrare. Illud enim verbum apud Sextum significat et rem, in qua dissentitur, et ipsam dissensionem et propriam de re sententiam et eos universos, qui propriam de qualibet re sententiam retinent atque defendunt, nunquam vero sectam sive scholam philosophorum proprie dictam[2]). *Προστῆναι στάσεως* denique idem est ac retinere atque defendere propriam de aliqua re sententiam[3]). Quare hoc efficitur, nihil aliud

[1]) Ad Sexti adv. Log. I, 53. 89. 190 etc. cf. ejus indicem (II.) Sexti vocum Graecarum, verb. *στάσις*.

[2]) Hypot. III, 56. 65. 130. adv. Log. I, 89. 262. 299. 398; II. 13. 14. 62. (*οὐ τοίνυν ὑγιής ἐστιν ἡ στάσις τῶν περὶ Δημόκριτόν τε καὶ Πλάτωνα*). 69. 214. (*τοσαύτης οὖν καὶ ἀδιακρίτου στάσεως οὔσης*). 244. adv. Phys. I, 211. 213. 359; II, 45. 48. 50. 123. 233 et passim. Unum liceat locum exhibere, quo nititur Fabrici sententia, adv. Log. I, 190. 191: *Ἀλλὰ καὶ τῆς Ἀκαδημαϊκῆς ἱστορίας ἄνωθεν ἀπὸ Πλάτωνος ἀποδοθείσης οὐκ ἔστιν ἀλλότριόν που καὶ τὴν τῶν Κυρηναϊκῶν στάσιν ἐπελθεῖν· δοκεῖ γὰρ καὶ τῶν ἀνδρῶν τούτων ἡ αἵρεσις ἀπὸ τῆς Σωκράτους ἀνεσχηκέναι διατριβῆς, ἀφ' ἧσπερ ἀνέσχε καὶ ἡ περὶ τὸν Πλάτωνα διαδοχή· φασὶν οὖν οἱ Κυρηναϊκοὶ κριτήρια εἶναι κτλ.* Sextus refert diversas omnium philosophorum de judicio veri et falsi sententias. Atque rerum ordine Academicorum omnium diversis inter se sententiis explicatis (a sect. 141—189) se confert ad sententiam Cyrenaeorum disserendam caussaque cur eos adjungat Academicis allata nihil de iis exhibet nisi eorum de judicio veri falsique sententiam (s. 191—200). Nunquam ergo „*στάσις*" significat scholam philosophorum, sed propriam cujusdam scholae de aliqua re sententiam.

[3]) Quid significet illud „*στάσεως προστῆναι*", cognosce his locis: Adv. Log. I, 8: *οἱ μὴν τοῦ φυσικοῦ μέρους προστάντες* (i. e. ii, qui unam tantum eamque naturalem admittunt philosophiae partem); adv. Log. II, 11: *καὶ δὴ τῆς μὲν πρώτης δόξης προεστήκασιν οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς*: 269: *οἱ ταύτης προεστῶτες τῆς δόξης*; 333 a: *νῦν δ' ἐπεὶ πολλὰς ἔχομεν τοῦ ἑνὸς ἐννοίας καὶ πολυτρόπους καὶ μαχομένας καὶ*

significari illis Sexti verbis nisi Menodotum et Aenesidemum plurimum profecisse in disquirendo, utrum Academici Sceptici sint dicendi necne.

IV. Postea cum Aenesidemus nullam instituerit scholam Scepticam, hoc est tenendum, non distinguendam esse scholam Scepticam Pyrrhonis et Aenesidemi, id quod sentiunt recentiores fere omnes, qui hanc rem tractaverunt[1]), sed recte cum Sexto scholam Scepticorum antiquiorum et recentiorum.

V. Hoc denique addendum, Ciceronis testimonia, etsi cui libuerit strictissime ea interpretari, ne tum quidem nostram infringere sententiam.

Cap. XVIII.

Nunc vero nobis quaerendum est, quae ratio intercesserit cum inter Scepticos antiquiores et recentiores, tum inter hos et Aenesidemum. Atque inter Aenesidemum quidem et primos recentiorum Scepticorum interjectum esse intervallum annorum prope nonaginta, patet ex omnibus, quae disseruimus de Aenesidemi aetate, et confirmatur Senecae testimonio. Sed id arbitramur non licere in dubium vocare, quin Sceptici recentiores, ut ipsa antiquitate suam commendarent doctrinam, quoad ejus fieri

ἐπ' ἴσης πιστὰς διά τε τὴν ἐν αὐταῖς πιθανότητα καὶ διὰ τὴν τῶν προϊσταμένων ἀνδρῶν ἀξιοπιστίαν (i. e. propter eorum fidem, qui suam quisque definitionem tuentur); adv. Phys. I, 39: *σὺν τῷ ἀπιθάνου προΐστασθαι δόξης*; 47. Maximi momenti sunt quae exstant adv. Phys. II, 123: *τάξει δὲ ἀπὸ τῆς πρώτης στάσεως ποιώμεθα τὴν ἐπιχείρησιν, καθ' ἣν πάντα εἰς ἄπειρον τέμνεται, καὶ δὴ οἱ προεστῶτες αὐτῆς φασι* . . cf. 122 et adv. Gramm. 38: *ὁ μαθήματος προεστῶς* (disciplinae professor).

[1]) cf. Zeller. l. c. IV, p. 441. V, p. 8. 26. Brandis. l. c. II, p. 180. 197 ss. Saisset. l. c. p. 78.

posset, eam ab antiquioribus Scepticis repetendam esse putaverint, ne nova quaedam, sed ceteris fere aequalis videretur. Cum vero nullo libro antiquiorum Scepticorum doctrinam invenirent comprehensam atque in summam compositam nisi libro Aenesidemi, hic illis erat adeundus. Quod primus fecisse videtur Zeuxis. Ita enim intellegendum esse putamus Diogenis locum, de quo supra disputavimus[1]). Qua in re Zeuxidis exemplum imitatus Menodotus non substitit in Aenesidemo, sed usque ad Ptolemaeum Cyrenaeum progressus est, quem primum post Timonem Pyrrhonis doctrinam professum esse testatur[2]). Quod quomodo sit intellegendum cum jam supra[3]) sit monstratum, nunc plura non oportet afferre. Reliqui autem Sceptici recentiores quibus vinculis fuerint conjuncti cum antiquioribus, fieri non potest ut exploremus, cum ne unum quidem certum exstet antiquitatis testimonium. Ne illud quidem apparet, utrum Sextus Empiricus suam Timonis et Aenesidemi notitiam ex ipsorum libris perceperit an debuerit Menodoto. Hic enim quin eas res tractaverit, vix licet in dubium vocare. Et quod nos quidem rem inspexerimus, vix unquam fieri poterit, ut ea de re certi quidquam statuatur, quippe quae uno tantum attingatur Sexti loco, ubi se Menodoti et Aenesidemi argumentis uti confitetur[4]). Hoc quoque monendum putamus, quod Menodotus solum nominavit Ptolemaeum, inde illi alios Scepticos non fuisse notos hanc ob caussam minime licere conjicere, quod nobis, si Diogenis liber intercidisset, ex Sexti Empirici libris nemo Scepticorum notus esset nisi Pyrrho Timo Nausiphanes Aenesidemus Menodotus. Inter Aenesidemum vero et recen-

[1]) cf. pag. 51. adn. 1.

[2]) Diog. IX, 115.

[3]) cf. c. VII.

[4]) cf. Hypot. I, 222. In animo habemus hanc rem etiam altius inquirere.

tiores Scepticos quae intercesserit ratio ut paucis comprehendamus, jam ex ipsius Sexti locis, quos supra [1]) attulimus, satis apparet, illis Aenesidemum fuisse auctorem, cui debebant suam de antiquioribus Scepticis notitiam [2]).

Cap. XIX.

Jam eo nobis est progrediendum, ut Scepticorum et antiquiorum et recentiorum, quorum nomina vel exstant in Diogenis serie vel ibi desiderantur, quo tempore fuerint singuli et quid contulerint ad Scepticam doctrinam amplificandam libris scribendis, quantum fieri potest statuamus.

Atque antiquiorum Scepticorum seriem initium sumere a Pyrrhone (i. e. ab anno circiter trecentesimo tricesimo a. Chr., ante quem annum Pyrrhonem Scepticam doctrinam professum esse vix quis statuerit) et promanasse usque ad medium saeculum primum a. Chr. sive usque ad Ciceronis aetatem, satis est comprobatum. Hujus seriei atque totius philosophiae Scepticae princeps fuit Pyrrho Eleus, cujus vitam narrat Diogenes Laërtius [3]). Ipse quidem nullum conscripsit librum [4]), plures autem habuit discipulos [5]): Eurylochum, Philonem Atheniensem, Hecataeum Abderiten, Timonem Phliasium, Nausiphanem Teïum. Atque de Eurylocho quidem narratiunculam festivam tradit Diogenes [1]). Idem infestissimum eum fuisse narrat sophistis et aliquando disputationibus Elide ab iis superatum pallio abjecto Alpheum tranasse. Philo autem Atheniensis vitam ab hominibus remotam elegit atque multa meditatus neque gloriae neque disputationum cupidus fuit [2]). Jam vero Hecataeus Abderites [3]), cujus mentio fit apud Strabonem (XIV. 1. p. 644), Josephum (c. Apion. I, 22), Suidam (cf. Eudoc.), fuit tempore Alexandri Magni successorum (Suid.) et commoratus apud Ptolemaeum Lagi (Joseph. l. c.) eo regnante iter fecit Thebas (Diodor. I, 46, 6) eumque in expeditione Syriaca est comitatus (Joseph. l. c.). Et Josephus quidem eum appellat „*φιλόσοφον ἅμα καὶ περὶ τὰς πράξεις ἱκανώτατον*“, Suidas autem „*φιλόσοφον καὶ κριτικὸν γραμματικόν.*“ Libros denique scripsit: *περὶ Ὑπερβορέων* (Schol. Apoll. Rh. II, 675; Diod. II, 47; Schol. Pind. Ol. III, 28; Aelian. H. A. XI, 1; Stephan. Byz. *Ἐλίξοα* et *Καραμβύκαι*), *Αἰγυπτιακά* (Diod. I, 46, 4 cf. Plut. de Js. et Os. c. 9 p. 354), *περὶ τῆς Αἰγυπτίων φιλοσοφίας* (Diog. I, 10), quod opus non peculiare fuisse videtur, sed prima pars rerum Aegyptiarum (Müllerus). Suidas exhibet quoque nomen libri *περὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου*, cujus nullum in antiquitate reperitur vestigium. Libri vero *περὶ Ἰουδαίων* et *περὶ Ἀβράμου* non duo, sed unus fuisse videntur neque tribuendi sunt Hecataeo Abderitae [4]). Praetermisso autem Timone (qui cum fuerit et Pyrrhonis successor et doctrinae quasi praeco, de ejus aetate plura erunt dicenda),

[1]) cf. c. XVI.

[2]) cf. c. XIV.

[3]) IX, 61 ss. Quaedam quoque exstant apud Euseb. l. c. ex Aristocle. Quando fuerit Pyrrho, jam supra c. II. est demonstratum. — Cum habeamus in animo plura disserere, si fieri poterit, de Scepticae philosophiae historia, quibus in ea promovenda atque amplificanda magnae tribuendae sunt partes, de iis plura atque accuratiora hic disputare ab ipso nostro proposito alienum esse putamus.

[4]) Diog. IX, 102. Aristocl. apud. Euseb. l. c.

[5]) Diog. l. c. 68.

[1]) l. c. Adeo non consecutus est illam Scepticorum animi tranquillitatem atque imperturbatum statum, ut aliquando furore inflammatus coquum veru carnibus circumdato minitans usque in forum persequeretur.

[2]) l. c. 69. (Ex Timonis sillis).

[3]) Utrum Tei natus sit an Abderis, non pro certo constat, quia Strabo eum Teïum vocat, alii Abderiten.

[4]) cf. Müller. Fragm. Hist. Graec. T. II, p. 384—396, ubi fragmenta Hecataei sunt collecta.

ad Nausiphanem Teïum transeamus, quem admodum adolescentulum Pyrrhonem adiisse Diogenes tradit [1]). Is tamen de se ipso praedicabat, oportere quidem imitari habitum Pyrrhonis, rationes vero suas. Et Cicero quidem [2]) et Suidas Democriteum eum nominant, Diogenes [3]) Democritum ab eo auditum esse refert, Sextus vero [4]) eum Pyrrhonis auditorem appellat, id quod indicat ipse Diogenes IX, 64. Epicuri fuit praeceptor [5]) saepiusque confitebatur, Epicurum admiratum Pyrrhonis habitum vitae ex se de illo quaerere esse solitum. Quare Epicurum Pyrrhonis quidem accepisse notitiam, ipsum non adiisse liquet. Postea vero Epicurus, qui se a nullo esse magistro atque ipsum per se omnia didicisse gloriabatur, abalienatus a Nausiphane contumelias in eum conjecit [6]). Neque illud praetereundum putamus, quod tradit Clemens Al. [7]), Nausiphanem *ἀκατάπληξιν* dixisse finem,

---

[1]) IX, 64. Quod si Zellerus dicit (l. c. IV, p. 440, adn. 4), hoc fieri non potuisse, nisi dicamus, Nausiphanem paulo post Pyrrhonem munus docendi suscepisse, cum neque Pyrrho Elim ante annum 322. redierit et Epicurus ante annum 310. scholam reliquerit Nausiphanis, hoc concedere non dubitamus. Nam cum neque Nausiphanes totum se dederit Pyrrhonis doctrinae et Epicurus negaverit se esse Nausiphanis discipulum, apparet, per multum temporis non auditum esse neque Pyrrhonem a Nausiphane, neque Nausiphanem ab Epicuro.

[2]) Nat. Deov. I, 26. 73.

[3]) Prooem. 15.

[4]) Adv. Gramm. 2.

[5]) Diog. IX. 64. 69; X, 7. 14. Sext. Emp. adv. Gramm. 3; Suid. verb. *Ἐπίκουρος*; Clem. Al. Str. I, p. 301. D: *Πύῤῥων, οὗ Ναυσιφάνης· τούτου φασὶν ἔνιοι μαθητὴν Ἐπίκουρον γενέσθαι*; Cic. l. c. et I, 33, 93.

[6]) cf. Diog. X. 7. 8. Sext. l. c. Cic. l. c. Zeller. IV, p. 342, adn. 1 et I, p. 782 (edit. III.)

[7]) Strom. II, 417 A: *Ἑκαταῖος δὲ αὐτάρκειαν . . . Ναυσιφάνης τὴν ἀκατάπληξιν, ταύτην γὰρ ἔφη ὑπὸ Δημοκρίτου ἀθαμβίαν λέγεσθαι.* (Disputat Clemens hac de re, quem finem singuli philosophi consequendum esse statuerint).

quam vocaret Democritus *ἀθαμβίαν*. Libros denique eum scripsisse constat [1]), neque tamen ne unius quidem nomen usque ad nostram memoriam est conservatum.

Cap. XX.

Timonis vero Phliasii vitam narrat Diogenes Laërtius [2]). Et ejus quidem aetas, cum plura exstent antiquitatis testimonia, satis accurate potest definiri. Diogenes enim Laërtius cum referat [3]), Timonem adolescentem saltationi operam dedisse, deinde sententia mutata ad Stilponem Megara se contulisse ibique aliquamdiu commoratum in patriam revertisse et uxorem duxisse; postea Elim ad Pyrrhonem venisse ibique mansisse, donec nati essent ei liberi, hoc licet conjicere, eum annos fere triginta natum fuisse, cum adiret Pyrrhonem. Quam inferunt difficultatem Prellerus [4]) et Wachsmuthius [5]) a temporum ratione petitam, qua adducuntur ut dicant, fieri non potuisse, ut Timo audiret Stilponem, eam in promptu est ita diluere, ut statuamus, Timonem primo quidem se contulisse ad Stilponem Megara, Stilponem vero, quem ultra quartum a. Chr. saeculum vitam protulisse est verisimile [6]), paulo post e vita decessisse, quo mortuo illum non multo plus quam triginta annos natum ad Pyrrhonem se applicuisse anno a. Chr. circiter ducentesimo nonagesimo quinto (vel ducentesimo nonagesimo). Quare vix dicere licet, illum natum esse post annum a. Chr. trecentesimum vicesimum quintum. Deinde idem Diogenes [7])

---

[1]) cf. Diog. IX, 102.

[2]) IX, 109 ss. cf. Wachsmuth., De Timone Phliasio. Lips. 1859.

[3]) IX, 109.

[4]) Hist. phil. gr. et rom. pag. 334 (ed. IV).

[5]) l. c. p. 5.

[6]) cf. Zeller. l. c. II, p. 211, adn. 1 (edit. III.) et IV, p. 440, adn. 3.

[7]) IX, 110.

nobis tradit, Timonem ipsum se jactasse, quod notus fuerit et Antigono regi[1]), qui obiit anno circiter ducentesimo undetricesimo a. Chr., et Ptolemaeo Philadelpho, qui decessit anno ducentesimo quadragesimo sexto. Cum denique Timonem carpsisse Arcesilaum in sillis, postea autem eum laudasse atque inter ipsum et Lacyden, Arcesilai successorem, familiaritatem quamdam intercessisse constet[2]) — id quod vix fieri potuit Arcesilao vivo, quippe cui Timon esset inimicissimus — illum Arcesilai superstitem fuisse dicendum est. Quare cum usque ad nonagesimum annum vitam propagaverit[3]), Timonem fuisse ab anno circiter trecentesimo vicesimo quinto usque ad annum ducentesimum tricesimum quintum a. Chr. proxime ad verum accedere putamus[4]). Libros conscripsit plurimos et inter eos illum celeberrimum, qui inscribitur *σίλλοι*, a quo ipse nomen traxit Sillographi[5]). Is liber compositus est post annum ducentesimum duodeoctogesimum[6]) numeris heroicis, ut patet ex ejus quae supersunt fragmentis[7]). Erat autem dedicatus Xenophani[8]) divisusque in tres libros[9]). *Ἴαμβοι*, quorum mentionem facit Diog. IX, 110, utrum idem an alius liber sint dicendi ac *σίλλοι*, non habemus dijudicare. Libri Timonis deinde memorantur: *Πύθων* [continebat

[1]) Intellegendus est Antigonus Gonatas. cf. Niebuhr. ant. hist. III, pag. 317.

[2]) cf. supra c. VII.

[3]) Diog. IX, 112.

[4]) cf. Ueberweg. l. c. I, p. 230 (ab a. 325—235). Zeller. l. c. IV, p. 440, adn. 3 (320—230).

[5]) cf. Diog. IX, 111.

[6]) Irridetur enim in illo et Ctesibius, Menedemi discipulus, qui Menedemus mortuus a. 278. a. Chr. cf. Zeller. l. c. II, p. 237, adn. 4 et p. 238, adn. 2 (edit. III.)

[7]) cf. Wachsmuth. l. c., ubi collecta sunt Timonis fragmenta.

[8]) Sext. Emp. Hypot. I, 224.

[9]) Diog. IX, 111.

colloquium cum Pyrrhone Delphos proficiscente[1]) habitum, Diogenes vero mirum quantum librum fuisse putat ad Pythonem scriptum[2])]; *ἰνδαλμοί*[3]) (Diog. l. c. 105. Sext. adv. Eth. 20); *περὶ αἰσθήσεων* (Diog. l. c.); *πρὸς τοὺς φυσικούς* (Sext. adv. Geom. 2.); *περὶ Ἀρκεσιλάου δείπνου* (Diog. IX, 115). Praeterea eum composuisse dicit Diogenes[4]) *ποιήματα καὶ ἔπη*, satyros, comoedias triginta, sexaginta tragoedias.

Cap. XXI.

Et illos quidem omnes, quos recensuimus Pyrrhonis discipulos, Pyrrhonem audivisse et Timone fuisse majores natu nemo negaverit; at non omnes dicendi sunt vere Pyrrhonii. Atque Eurylochus quidem et Philo disputationibus confundebant alios philosophos et ita rem gerebant Pyrrhonis rationemque defendebant; Hecataeus vero num vere dicendus sit Pyrrhonius, ex scriptis ejus, quantum ea licet adire, minime cognoscitur: hoc quidem est statuendum, jam ex ipsis librorum inscriptionibus apparere, eum Pyrrhonis doctrinae promovendae in illis operam non dedisse. Nausiphanem denique Pyrrhonis doctrinae non fuisse addictum, sed mores quidem illius esse imitatum neque vero penitus reliquisse Democriti doctrinam, testimoniis ex antiquitate allatis confirmatur[5]). Quae nescio an fuerit caussa,

[1]) Aristocl. ap. Euseb. l. c. XIV, 18: *Τίμων ἐν τῷ Πύθωνι διηγεῖται μακρόν τινα κατατείνας λόγον, ὡς ἐντύχοι τῷ Πύῤῥωνι βαδίζοντι Πυθοῖδε, παρὰ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀμφιαράου καί τινα διαλεχθεῖεν ἀλλήλοις.*

[2]) cf. Diog. IX, 67: *ἐν οἷς πρὸς Πύθωνα διέξεισιν;* IX, 105: *Τίμων ἐν τῷ Πύθωνι,* qui locus priori contrarius videtur. cf. Brandis. l. c. II, p. 176, adn. 10: *πρὸς Πύθωνα* Diog. 67.

[3]) Conscripti erant versibus elegiacis, ut patet ex fragmentis.

[4]) IX, 110. 111.

[5]) cf. Zeller. l. c. I, p. 782 (ed. III).

cur non Pyrrhonem, sed Nausiphanem Epicurus sibi elegerit magistrum.

Timonem vero Phliasium suo jure Pyrrhonium esse dicendum, ex omnibus quae de illo usque ad nostram memoriam sunt perlata, satis superque apparet. Ipse enim Pyrrhonis doctrinam cum aliis tradidit tum primus literis mandavit, quare et dici meruit „*προφήτης τῶν Πύῤῥωνος λόγων*“[1]). Quae autem in libris suis tractaverit et quid consequi voluerit, optime cognoscitur ex Sexto Empirico. Ceteri enim auctores, qui exhibent locos ex Timonis libris compilatos, ea plerumque nobis conservaverunt, quae pertinent ad homines a Timone irrisione vexatos. Ita factum est, ut sillorum plurima fragmenta ad nos perferrentur. Sextus vero ea nobis servavit, quibus Timonem non solum impugnasse ceteros philosophos, sed etiam explicasse Pyrrhonis doctrinam intellegatur. Atque impugnavit quidem in sillis ceteros philosophos salso quodam dicendi genere[2]) hunc in modum, ut primo libro perstringeret irrisione universos illos philosophos, qui „dogmatici“ vocantur, secundo et tertio cum Xenophane colloquio instituto antiquiores illo, hoc recentiores carperet philosophorum verbis Xenophanis, qui Timoni de unoquoque sciscitanti respondens fingebatur[3]); Pyrrhonis autem doctrinam elucubravit atque illustravit cum in Pythone reliquisque libris soluto sermone conscriptis[4]), tum illo libro, qui inscribebatur *ἰνδαλμοί*[5]),

---

[1]) Sext. Emp. adv. Gramm. 53.

[2]) Sext. Emp. Hyp. I, 224. adv. Log. I, 8. 10. Phys. I, 57. Eth. 171. 172. cf. reliqua fragm. ap. Wachsmuth. l. c.

[3]) cf. Diog. IX, 111.

[4]) cf. Sext. Emp. adv. Phys. II, 197; Geom. 2 (*πρὸς τοὺς φυσικούς*); Mus. 66.

[5]) l. c. adv. Log. I, 30. Eth. 1. 20. 140. 141. 164. (Nescio an hic totus locus (Eth. sect. 140—166) referendus sit ad Timonem; verba quidem, quae exstant s. 164. ipsius Timonis esse videntur, quia pars sunt Hexametri: *οὕτω τε οὐκέτι ἀφυγὴς καὶ ἀναίρετος ἔσται κατὰ τὸν Τίμωνα — ἀφυγὴς καὶ ἀναίρετος ἔσται;* sed de hoc alias). Gram. 305; Diog. IX, 65. 105.

in quo et laudibus extulit ipsum Pyrrhonem. Quae omnia si quis diligenter consideraverit, Timoni inter antiquiores Scepticos primas partes esse deferendas, ultro concedet.

Cap. XXII.

Jam vero Timonis discipuli fuisse traduntur[1]) Dioscurides Cyprius[2]), Nicolochus Rhodius, Euphranor Seleucius, Praylus Trojanus (ortus ex regione Troade), qui neque usque ad quantum quisque temporis protulerint aetatem nec quid contulerint ad Pyrrhonis doctrinam promovendam pro certo possumus scire. Unum quidem Praylum tradit Diogenes[3]), ad tantam animi constantiam ac patientiam processisse, ut pateretur se injuste, quasi prodidisset patriam, suppliciis affici atque ne verbo quidem a civibus salutem deprecaretur. Xanthum quoque, Timonis filium, instituta et mores patris esse amplexatum, patet ex Diogene[4]); ceteroquin prorsus est ignotus. Aratum denique Solensem audivisse Timonem, auctores sunt Suidas et Diogenes[5]), qui Aratum adiisse quidem Timonem, non ejus discipulum fuisse dicit[6]). Neque illum addictum fuisse Timonis doctrinae satis superque constat.

Ex illis vero quatuor Timonis discipulis per solum Euphranorem continuata est scholae successio. Ejus enim

---

[1]) Diog. IX, 115. cf. supra c. I. IV.

[2]) Is uno erat oculo (Diog. IX, 114, ubi aperte Timonis discipulus nominatur).

[3]) Ex Philarcho quodam historico.

[4]) IX, 109.

[5]) l. c. 113.

[6]) l. c. Quaesivit ex Timone Aratus, quo pacto quis Homeri libros emendatos posset acquirere.

discipulum fuisse Diogenes exhibet[1]) Eubulum Alexandrinum, de quo praeter patriam nihil est notum. Eubulus autem utrum Euphranorem ipsum exceperit an interjectum sit aliquod temporis intervallum aut omissus unus ex successoribus, cum omnino desint antiquitatis testimonia, pro certo dijudicare non licet[2]). Neque vero dicendum putamus, illam seriem a Timone usque ad Aenesidemum aut nomina nullius exhibere momenti aut esse commentam[3]). Si quis enim finxerit illam seriem, eum Eubulum non cum Euphranore, sed cum Praylo, qui ultimus nominatur ex Timonis discipulis, conjuncturum fuisse verisimile est.

Cap. XXIII.

Eubulum deinceps excepit Ptolemaeus Cyrenaeus[4]), quem Carneadi aequalem fuisse atque primum Scepticam philosophiam ab Academica ratione sejunxisse, jam supra est demonstratum[5]). Libros quidem videtur scripsisse, nihil vero de iis ne nomen quidem unius ad nostram perlatum est memoriam. Hic duos habuit discipulos, Sarpedonem et Heraclidem. Quorum unus, Sarpedon, penitus est ignotus, alter idem est Heraclides, quem Galenus saepius[6]) in praestantissimorum refert medicorum empiricorum numero ejusque librum *περὶ τῆς ἐμπειρικῆς αἱρέσεως* nominat[7]), neque diversus ab Heraclide illo Tarentino, Mantiae Herophilei discipulo, quem primum omnes Hippocratis libros explicasse

---

[1]) IX, 116.

[2]) cf. supra c. VIII.

[3]) cf. Brandis. l. c. II, p. 180.

[4]) Diog. IX, 115. 116.

[5]) cf. c. VII.

[6]) cf. Therapeut. meth. II, 7 (Vol. X, p. 142); in Hippocr. aphor. VII, 70 (XVIII, a. 187).

[7]) De libr. propr. c. 9 (XIX, 38).

idem Galenus est auctor[1]) eumque inter medicos empiricos principalem locum obtinuisse constat[2]). Cum enim ex nostra ratione Heraclidem, qui est apud Diogenem discipulus Ptolemaei idemque magister Aenesidemi, exeunte secundo et ineunte primo a. Chr. saeculo, ab anno circiter centesimo vicesimo usque ad annum nonagesimum fuisse dicendum sit; cum deinde Coelius Aurelianus[3]) haec exhibeat de Heraclide Tarentino: „Eorum (sc. empiricorum) posterior atque omnium probabilior apud suos invenitur"; cum denique Celsus[4]) dicat de Serapione, qui doctrina floruit ab anno ducentesimo quadragesimo usque ad ducentesimum vicesimum a. Chr.: „Quem Apollonius et Glaucias et aliquanto post Heraclides Tarentinus . . . secuti", hic vero Heraclides Tarentinus superior fuerit Asclepiade (Cels. l. c.), quem Antiocho Ascalonitae fuisse aequalem Sextus Empiricus testatur[5]) — quin Heraclidem Scepticum philosophum eundem esse dicendum sit atque Heraclidem Tarentinum eundemque medicum empiricum, minime dubitamus, praesertim cum Aenesidemum ipsum Antiocho Ascalonitae fuisse aequalem nostra comprobatum sit disputatione. Neque enim obstat nostrae sententiae illud, quod Heraclidem Tarentinum in posteriorum empiricorum numero refert Coelius Aurelianus, quippe qui totus pendeat ab Sorano. Soranum autem certe ad primum p. Chr. saeculum esse referendum constat. Deinde ex nostra quoque sententia Heraclides annis circiter septuaginta fuit post Apollonium et Glauciam, ut recte illos aliquanto post secutus esse dicatur, idemque tem-

---

[1]) In Hippocr. de humor. l. 24 (XVI, 196); in Hippocr. de med. offic. I. (XVIII, b. 631).

[2]) cf. Spengel. hist. medicin., ed. Rosenbaum., Vol. I, p. 585 ss.

[3]) De morb. acut. p. 64.

[4]) Medic. I, prooem. p. 3.

[5]) Adv. Log. I, 202.

pore antecessit Asclepiadi; quo fit, ut ne minima quidem appareat differentia. Fallitur denique Zellerus[1]), cum Heraclidem Tarentinum aliquanto fuisse ante Asclepiadem dicendum putet his Celsi verbis innixus: „... nullo vero quicquam post eos, qui supra comprehensi sunt, agitante, nisi quod acceperat: donec Asclepiades medendi rationem ex magna parte mutavit“[2]); male enim illa „post eos qui supra comprehensi sunt“ arbitratur referenda esse ad Apollonium et Glauciam et Heraclidem Tarentinum, id quod a Celsi mente prorsus alienum est. Atque quid sibi velit ille Celsi locus, his cognosce: Celsus tradit, illorum medicorum, qui victu curabant, longe clarissimos etiam altius agitare quaedam esse conatos atque rerum naturae cognitionem sibi vendicasse, tamquam sine ea trunca et debilis medicina esset. Post quos Serapionem primum omnium hanc rationalem disciplinam rejecisse et in usu tantum et experimentis medicinam posuisse. Eum secutos esse Apollonium et Glauciam et Heraclidem et aliquos non mediocres viros, qui se appellaverint Empiricos. Sic eam quoque medicinam, quae curat victu, esse divisam in duas partes, unis rationalem artem, alteris usum tantum sibi vendicantibus, neminem vero facta divisione neque Serapionem neque Apollonium neque Glauciam neque Heraclidem neque denique quemquam alium mutasse quicquam de medendi ratione usque ad Asclepiadem. Nam illa „post eos, qui supra comprehensi sunt“ fieri non potest ut alia ratione intellegamus nisi „post eos, quos supra non nominatim, sed generatim commemoravimus sive quos communi quodam nomine (sc. longe clarissimorum auctorum) appellavimus[3]). Quare

---

[1]) l. c. V, p. 2, adn. 2.

[2]) l. c. p. 4.

[3]) Operae pretium videtur, totum Celsi locum exhibere: „Ejus autem, quae victu morbos curat, longe clarissimi auctores

nihil caussae est, cur Heraclidis Tarentini aetatem temporis intervallo ab Asclepiadis fuisse remotam dicamus atque negemus, Heraclidem Tarentinum medicum empiricum eundem esse atque Heraclidem Scepticum philosophum. Librorum denique, quos conscripsit, illius *περὶ τῆς ἐμπειρικῆς αἱρέσεως*[1]) et commentariorum in omnes Hippocratis libros[2]) notitia ad nos pervenit.

Cap. XXIV.

Heraclidis autem discipulus fuit — Serapedonem enim vix dicere licet tenuisse scholae principatum — Aenesidemus Cnossius vel Aegensis[3]). De cujus aetate cum jam satis disseruerimus neque praeter ea, quae jam attulimus, quidquam de ipso sit exploratum nisi eum Alexandriae esse commoratum[4]), restat, ut libros ejus recenseamus.

---

etiam altius quaedam agitare conati, rerum quoque naturae sibi cognitionem vendicaverunt, tanquam sine ea trunca et debilis medicina esset. Post quos Serapion primus omnium nihil hanc rationalem disciplinam pertinere ad medicinam professus, in usu tantum et experimentis eam posuit. Quem Apollonius et Glaucias et aliquanto post Heraclides Tarentinus et aliqui non mediocres viri secuti, ex ipsa professione se Empiricos appellaverunt. Sic in duas partes ea quoque, quae victu curat, medicina divisa est, aliis rationalem artem, aliis usum tantum sibi vendicantibus, nullo vero quicquam post eos, qui supra comprehensi sunt („nach den genannten“ ?? Zeller.), agitante nisi quod acceperat: donec Asclepiades medendi rationem ex magna parte mutavit.“

[1]) Galen. de libr. propr. 9. (XIX, 38).

[2]) Galen. in Hipp. de humor. I, 24; in Hipp. de med. off. 1. (XVI, 196; XVIII, b. 631).

[3]) Diogenes eum nominat Cnossium, Photius Aegensem, quae differentia unde sit orta, non possumus explicare.

[4]) Aristocl. ap. Eus. l. c.

Scripsit quidem *Πυῤῥωνείων λόγων ὀκτὼ βιβλία*[1]), quorum epitomen satis arctam atque exiguam nobis servavit Photius. Iis libris tota tunc temporis Scepticorum doctrina erat comprehensa; quare nullo negotio fieri poterat, ut Sceptici recentiores suam antiquiorum notitiam ex iis acquirerent. Scripsit quoque duos alios libros, quorum unus *κατὰ σοφίας*, alter *περὶ ζητήσεως* inscribebatur[2]), iisque Heracliti doctrinam, ad quam se converterat, professus esse videtur[3]). Quod quin ultro concedamus, non obstat illud, quod Diogenes (l. c.) in his quoque libris docuisse Aenesidemum tradit, iis quae sensibus apparent, esse obsequendum. Nam neque qui dicit in omnibus apparere contraria neque qui omnibus inesse contraria, ei aliud quidquam est reliqui nisi ut vitae rationem componat secundum ea, quae necessitate quadam afficiunt sensus. Memoratur autem et *ὑποτύπωσις εἰς τὰ Πυῤῥώνεια*[4]), quam proprium librum dicendum esse affirmant Saessetus et Zellerus, Ritterus negat[5]). Sed cum haec exstent apud Photium: *ἐφεξῆς δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον πρῶτον καὶ τὴν ὅλην ἀγωγὴν ὡς ἐν τύπῳ καὶ κεφαλαιωδῶς τῶν Πυῤῥωνείων παραδίδωσι λόγων*, ad totam autem Scepticam rationem sine ulla dubitatione pertineant decem illi modi, quos si exemeris, illa jam stare non potest; cum deinde in dubium non possit vocari, quin illi octo modi,

[1]) Diog. IX, 106. 116. Sext. Emp. adv. Log. II, 215. Phot. cov. 212: *Πυῤῥωνίων λόγοι ὀκτώ.*

[2]) Diog. IX, 106.

[3]) cf. Saisset. l. c. p. 35.

[4]) Diog. IX, 78. Arist. ap. Eus. l. c.

[5]) Saisset. l. c. p. 37. Zeller. l. c. V, p. 12, adn. 2. Ritter. l. c. IV, p. 292, adn. 2. Zellerus ad suam sententiam confirmandam haec exhibet: primum Diogeni nisi proprium intellegeret librum, fuisse dicendum: *ἐν τῷ πρώτῳ τῶν λόγων*; deinde librum „*Πυῤῥωνείων λόγων*“, ut eum describat Photius, illos decem dubitandi modos non continuisse, quippe qui fuerint in libro „*ὑποτυπώσεως*“.

quibus infringuntur eorum argumenta[1]), qui caussam esse dicunt, ab Aenesidemo in quinto ex illis decem libris fuerint tractati[2]), neque sit verisimile, eum quae minoris sunt momenti, exhibuisse omisisse quae sunt maximi; cum denique Aenesidemum ipsum expositis octo modis Sextus referat adjecisse, fieri posse, ut mixtis quibusdam modis, compositis ex illis decem, redarguerentur qui caussam esse dicerent[3]), id quod nisi antea disputaverat de decem modis, prorsus erat ineptum: hae tot ac tantae caussae cum exstent, quis est, qui dicendum putet, in illis octo libris, nempe in primo, non fuisse contentos decem modos dubitandi? Qui ergo fieri potest, ut „*ὑποτύπωσιν*“ librum intellegamus ab illis octo diversum? Immo fortasse licet statuere, octo libros compendium fuisse Pyrrhonis doctrinae et ob eam caussam nomen quoque sortitos esse „*ὑποτυπώσεως*“[4]). Nescio quo pacto et illud „*διὰ τῆς πρώτης εἰσαγωγῆς*“, quod scriptum est apud Sextum Empiricum[5]), librum quemdam

[1]) cf. Sext. Emp. Hyp. I, 181.

[2]) Photius l. c. haec dicit de quinto Aenesidemi libro: *Προσβάλλεται δὲ αὐτῷ καὶ ὁ πέμπτος λόγος τὰς κατὰ τῶν αἰτιῶν ἀπορητικὰς λαβὰς μηδὲν μὲν μηδενὸς αἴτιον ἐνδιδοὺς εἶναι, ἠπατῆσθαι δὲ καὶ τοὺς αἰτιολογοῦντας φάσκων τοὺς τρόπους ἀριθμῶν, καθ' οὓς οἴεται αὐτοὺς αἰτιολογεῖν, ὑπαχθέντας εἰς τὴν τοιαύτην περιενεχθῆναι πλάνην.* cf. Sext. Emp. l. c.

[3]) Sext. Emp. Hyp. I, 185: *Οὐκ ἀδύνατον δέ φησι καὶ κατά τινας ἐπιμίκτους τρόπους ἠρτημένους ἐκ τῶν προειρημένων διαπίπτειν ἐνίους ἐν ταῖς αἰτιολογίαις.* Hoc Sexti loco non liquet quidem verbum „*προειρημένων*“ utrum referendum sit ad Aenesidemum an ad Sextum, optime vero, qui modi sint intellegendi.

[4]) Id eo propius accedit ad verum, quod Sextus Empiricus ipse libris suis *Πυῤῥωνείων ὑποτυπώσεων* nomen „*Πυῤῥώνεια*“ indidisse videtur. cf. adv. Gramm. 282; adv. Mus. 58. 61. cf. Suid. verb. *Σέξτος.*

[5]) adv. Thys. II, 216: *Σῶμα μὲν οὖν ἔλεξεν εἶναι τὸν χρόνον Αἰνησίδημος κατὰ τὸν Ἡράκλειτον. μὴ διαφέρειν γὰρ αὐτὸν τοῦ ὄντος καὶ τοῦ πρώτου σώματος. ὅθεν καὶ διὰ τῆς πρώτης εἰσαγωγῆς κατὰ*

Aenesidemi significare omnes consentiunt. Quod quam sit absurdum, ipsa praepositio „*διά*“ indicat; ad librum enim significandum semper „*ἐν*“ adhibetur. Jam quomodo res se habeat, his intellege: Aenesidemus cum sentiat, vocibus significandi vim non inesse natura, sed ex hominum composito (id quod Scepticis et Heracliteis pro doctrinae ratione erat sentiendum)[1], quum ex hominum invento primum singulis rebus nomina inderentur, tum simplices voces sex rebus dicit esse impositas atque corpus, quod est omnium primum, et tempus appellatum et unitatem. Illud denique „*τὰς κακὰς στοιχειώσεις*“ apud Eusebium[2]) ad librum quidem esse referendum neque tamen ad librum a reliquis Aenesidemi diversum, sed ad illos ipsos octo, satis liquet ex ipsis Aristoclis verbis: *Οἱ Τίμωνος σίλλοι καὶ αἱ κατὰ πάντων ἀνθρώπων βλασφημίαι καὶ αἱ κακαὶ στοιχειώσεις Αἰνησιδήμου καὶ πᾶς ὁ τοιοῦτος ὄχλος τῶν λόγων, τί δήποτε βούλεται αὐτοῖς;* Neque enim magis verbis „*α ἱκακαὶ στοιχειώσεις*“ liber Aenesidemi ab illis octo diversus significatur[3]) quam verbo „*βλασφημίαι*“ liber Timonis a sillis diversus.

Ex his vero, quae disseruimus de Aenesidemi libris, satis intellegitur, tres libros ipsi esse suo jure tribuendos neque tantas deferendas in Sceptica doctrina amplificanda

---

ἓξ πραγμάτων τετάχθαι λέγων τὰς ἁπλᾶς λέξεις, αἵτινες μέρη τοῦ λόγου τυγχάνουσι, τὴν μὲν χρόνος προσηγορίαν καὶ τὴν μονάς ἐπὶ τῆς οὐσίας τετάχθαι φησίν, ἥτις ἐστὶ σωματική. Fabricius (ad h. l.) dubitat, sitne idem liber intellegendus ac „*στοιχειώσεις*“ apud Eusebium (l. c.) necne; Saissetus (p. 36) negat, affirmat Ritterus (IV, p. 292), eum librum esse dicendum a ceteris Aenesidemi diversum; Zellerus censet (V, pag. 12, adn. 2), fieri posse, ut intellegendus sit liber primus ex illis octo libris; Brandis (II, pag. 206, adn. 110) nihil audet decernere.

[1]) cf. Sext. Emp. Hypot. II, 214. 256.

[2]) l. c. ex Aristocle. cf. Fabric. l. c. Saisset. l. c. Zeller. l. c.

[3]) Paulo ante enumerat Aristocles Aenesidemi decem dubitandi modos.

partes, quantas solent homines docti[1]). Ea quidem laus merito ipsi debetur, quod octo libris illis celeberrimis totam antiquiorum Scepticorum doctrinam comprehendit atque conservavit posteritati.

Cap. XXV.

In antiquiorum Scepticorum numero denique referendus est Numenius, qui apud Diogenem[2]) una cum Timone Aenesidemo Nausiphane nominatur[3]): ad quem si referenda sunt illa, quae tradit Diogenes IX, 68, solum Numenium esse auctorem statuisse Pyrrhonem praecepta, eum non in sincera Scepticorum doctrina mansisse apparet; Mnaseas quoque et Philomelus, qui a Numenio Pythagoreo Apamensi (quae urbs fuit Syriae) cum Timone componuntur atque Sceptici nuncupantur[4]). De quibus praeter nomen atque illud, quod eos Arcesilao Sceptici cognomen dedisse Numenius refert, omnia alta obscuritate sunt contecta. Hoc quidem pro certo constat, eos non multo post Timonem fuisse neque ex antiquiorum Scepticorum numero esse eximendos, quia quemquam recentiorum Scepticorum Arcesilao ultro Sceptici nomen dedisse non est verisimile[5]). Diogenes

---

[1]) cf. Brandis. l. c. II, p. 197. 198. Zeller. l. c. V, pag. 8. Saisset. l. c. p. 39. Ritter. l. c. IV, p. 287. Zimmermann. l. c. p. 12. 13.

[2]) IX, 102.

[3]) Zellerus (l. c. IV, 440, adn. 4) censet, eum fortasse ad tempus posterius esse rejiciendum, quod eodem loco nominetur Aenesidemus. At Zellerus ob eam caussam non debuit sejungere ab antiquioribus Scepticis Numenium, sed illis adjungere Aenesidemum.

[4]) Ap. Euseb. l. c. XIV, 6: *Μνασέας γοῦν καὶ Φιλόμηλος καὶ Τίμων οἱ Σκεπτικοὶ Σκεπτικὸν αὐτὸν προσονομάζουσιν, ὥσπερ καὶ αὐτοὶ ἦσαν, ἀναιροῦντα καὶ αὐτὸν τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ πιθανόν* (sc. *Ἀρκεσίλαον*).

[5]) cf. Zeller. l. c. V, p. 5, adn. 6.

denique Laërtius[1]) mentionem facit Cassii cujusdam, quem tradit Scepticum fuisse atque multa Zenoni Stoico exprobrasse. Eum in antiquioribus Scepticis esse numerandum inde licet conjicere, quod Diogenes suam de Stoicis doctrinam, cui inseruit Cassii mentionem, debuit Diocli Magnesio, qui fuit ineunte primo p. Chr. saeculo[2]).

Cap. XXVI.

Jam vero ad recentiores Scepticos convertenda est nostra disputatio, quos medio primo p. Chr. saeculo exstitisse atque usque ad annum circiter ducentesimum tricesimum vel ducentesimum quadragesimum continuam servasse successionem satis apparet Sexti Empirici aetate explorata[3]). Quae fuerit caussa, cur resuscitata sit Sceptica doctrina per integrum prope saeculum exstincta, inquirere ab hoc nostro alienum est proposito.

Et primum quidem recentiorum Scepticorum Diogenes in serie sua[4]) ponit Zeuxippum Politanum[5]), qui alioquin penitus est ignotus. Eum excepit Zeuxis, qui a corporis vitio nomen „distortis pedibus" (*ὁ Γωνιόπους*) traxisse videtur eumque librum, qui inscribebatur *περὶ τῶν διττῶν λόγων*, scripsisse testatur Diogenes[6]). Hunc librum ita conscriptum fuisse, ut in unaquaque re rationes sibi contrarias atque se invicem evertentes obvenire demon-

---

[1]) VII, 32. 33. 34.

[2]) cf. Nietzsch. in Mus. Rhen. nov. XXIII, p. 632 ss.

[3]) cf. supra c. III.

[4]) IX, 116.

[5]) Cobetus scribendum putat *ὁ πολίτης;* at addendum est *αὐτοῦ*, si quis intellegendum censuerit Zeuxippum fuisse civem Aenesidemi. Hoc vero dicendum arbitramur, eum ortum esse ex urbe quadam Poli. Erat urbs Polis et in Boeotia et in Aegypto: utra sit intellegenda, non habemus unde discernamus.

[6]) IX, 106.

straretur, ex quo efficeretur illa aequa vis rationum (*ἰσοσθένεια τῶν λόγων*)[1]), ipsa declaratur inscriptione. Illud quoque esse verisimile, Zeuxidem doctrinam suam partim repetiisse ab Aenesidemo, jam supra monuimus[2]). Zeuxidem quemdam exhibet etiam Galenus eumque tradit fuisse Tarentinum et post Heraclidem primum commentarios in omnes Hippocratis libros scripsisse[3]). Quem cum una cum Heraclide empiricum nominet[4]), jam nihil est caussae, quin illum eundem fuisse statuamus ac Zeuxidem Scepticum philosophum. Neque obstat, quod illum Galenus aperte in antiquiorum Hippocratis interpretum numero refert[5]); Rufus enim Ephesius, quem Galenus in recentioribus numerat, imperatoris Trajani fuit aequalis[6]), Zeuxis vero ex nostra ratione ultra centesimum p. Chr. annum vitam non protulit. Atque ex ipso Galeno licet demonstrare, Zeuxidem Empiricum fuisse post Heraclidem Erythraeum, quem Strabonis aequalem sive ineunte primo p. Chr. saeculo fuisse constat[7]). In enumerandis enim Hippocratis interpretibus, sive initium sumit ab su-

---

[1]) cf. Sext. Emp. Hyp. I, 8. 10. 190. et passim.

[2]) cf. c. XVIII.

[3]) In Hipp. Epid. sext. I, 1 (XVII. a. 793); in Hipp. de humor. I, 24 (XVI, 196); in Hipp. de med. off. 1 (XVIII, b. 631).

[4]) In Hipp. aphor. VII, 70 (XVIII. a. 187): *Οἱ πρῶτοι τῶν ἐξηγησαμένων τοὺς ἀφορισμούς, ὧν ἐστιν Ἡρόφιλος, ὁ Βακχεῖος, Ἡρακλείδης τε καὶ Ζεῦξις ἐμπειρικοί.*

[5]) In Hipp. de hum. I, 24 (XVI, 196): *Ὁ μὲν γὰρ Γλαυκίας καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ταραντῖνος καὶ Ζεῦξις, οἱ πρῶτοι πάντα τε τοῦ παλαιοῦ συγγράμματα ἐξηγησάμενοι ..... Ῥοῦφος δὲ ὁ Ἐφέσιος καὶ Σαβῖνος ἐκ τῶν νεωτέρων*, quo satis liquet, Galenum numerare Zeuxidem in antiquioribus interpretibus. (Verba: *οἱ πρῶτοι* etc. ad Heraclidem et Zeuxidem tantum esse referenda intellegitur ex loco: in Hipp. de med. off. l. c.)

[6]) cf. Suidas: *Γεγονὼς ἐπὶ Τραϊανοῦ σὺν Κρίτωνι.*

[7]) Strabo XIV, 1, 34. p. 645.

perioribus sive a posterioribus, Galenus semper servat temporum ordinem, velut: Glaucias, Heraclides Tarentinus, Zeuxis, Rufus Ephesius, Sabinus, Artemidorus, Numesianus; Herophilus, Bacchius, Heraclides (Tarentinus), Zeuxis; Dioscorides, Artemidorus, Zeuxis, Heraclides (Tarentinus), Bacchius, Asclepiades[1]). Cum autem in Hipp. Epid. sext. I, 1. hunc ordinem exhibeat: *Ζεῦξις . . . ὁ Ταραντῖνος καὶ ὁ Ἐρυθραῖος Ἡρακλείδης καὶ πρὸ αὐτῶν Βακχεῖός τε καὶ Γλαυκίας*, hic quoque illum temporum ordinem servasse atque Zeuxidem post Heraclidem Erythraeum fuisse recte conjicitur. Quare nihil jam obstare putamus, quin Zeuxidem Scepticum philosophum eundem esse dicamus ac Zeuxidem Tarentinum eundemque medicum Empiricum eumque fuisse exeunte primo p. Chr. saeculo[2]). Zeuxidem vero excepit Antiochus, Laodiceae in Phrygia[3]) natus; quem cum Diogenes[4]) referat apparentia posuisse, eum libros, qui penitus interciderunt, composuisse apparet.

Cap. XXVII.

Antiochus autem duos habuit discipulos, Menodotum Nicomediensem, medicum empiricum[5]), et Theodam Laodicensem, empiricum ipsum, quorum prior tantum scholae

[1]) cf. ll. cc.

[2]) Quin Zeuxis Herophili sectae addictus (Strabo. XII, 8. 20. p. 580) a nostro sit diversus minime est dubium. cf. Zeller. l. c. V, p. 4, adn. 2.

[3]) Laodicea ad Lycum est urbs Phrygiae (Strabo. XII, 8. 16. p. 578). cf. Philostrat. vit. soph. I, 25: *Λαοδίκεια ἡ ἐν Καρίᾳ, ποταμῷ πρόσοικος Λύκῳ*, quae differentia inde exorta est, quod sita erat Laodicea in finibus Cariae et Phrygiae.

[4]) IX, 106.

[5]) Diog. IX, 116. Galen. Therap. meth. II, 7 (X, 136. 142); in Hipp. de artic. III, 62 (XVIII. a. 575); in Hipp. de acut. morb. vict. IV, 17 (XV, 766); de cur. rat. per ven. sect. 9 (XI, 277).

tenuit principatum. Et Menodotum quidem in Sceptica doctrina augenda atque amplificanda non infimum obtinuisse locum, satis apparet. Ipsum enim Scepticam rationem ab Academica vendicasse et ab ipso Ptolemaeo rem repetiisse, testantur Sextus Empiricus et Diogenes[1]), Galenus autem illum more Scepticorum redarguisse Asclepiadem[2]). Sectam quoque medicorum empiricam magnis auxit incrementis[3]) eique plurimum attulit firmitatis. Libros denique quin conscripserit, minime est dubium, quorum unus, quem se duobus libris impugnasse ipse confitetur Galenus, Severo cuidam erat dedicatus[4]). Menodoti autem socius fuit Theodas Laodicensis[5]), qui etsi in successorum serie locum jure non obtinet, tamen ne digrediamur a Diogenis serie, hic quae nota sunt de eo adjicimus. Diogenes quidem ejus nusquam amplius meminit, Galenus autem in empiricorum illum refert numero[6]) ejusque duos commemorat libros: „*εἰσαγωγή*“ et „*κεφάλαιον*“. In quos cum ipse Galenus scripserit commentarios[7]), non minimi fuisse videntur mo-

[1]) cf. Sext. Emp. Hypot. I, 222. Diog. IX, 115.

[2]) De nat. fac. I, 14 (II, 52): *Καίτοι τὰ μὲν Ἀσκληπιάδου Μηνόδοτος ὁ ἐμπειρικὸς ἀφύκτως ἐξελέγχει, τήν τε πρὸς τὰ φαινόμενα μάχην ὑπομιμνήσκων αὐτὸν καὶ τὴν πρὸς ἄλληλα.*

[3]) cf. Pseudogalen. Isagog. 4 (XIV, 683).

[4]) Galen. de libr. propr. c. 9 (XIX, p. 38): *Περὶ τῶν Μηνοδότου Σεβήρῳ ἕνδεκα . . . εἰς τὸ Μηνοδότου Σεβήρῳ.* Ex inscriptione libri Galeni: *Γαληνοῦ παραφραστοῦ τοῦ Μηνοδότου προτρεπτικὸς λόγος ἐπὶ τὰς τέχνας* licet conjicere, Menodotum scripsisse quoque adhortationem ad artes discendas. Reliquorum ejus librorum ne nomina quidem novimus.

[5]) Diog.: *Θειωδᾶς*; Galen.: *Θεοδᾶς*; Suid.: *Θευδᾶς*.

[6]) Therap. meth. II, 7 (X, 142).

[7]) De libr. propr. l. c.: *Τῆς Θεοδᾶ εἰσαγωγῆς ὑπομνήματα έ; . . τοῦ Θεοδᾶ κεφαλαίου ὑπομνήματα γ′.* Suidas quoque verb. *Θεοδόσιος* nominat: *Θευδᾶ κεφάλαια.* Verbum vero *κεφάλαιον* sive *κεφάλαια* idem significat ac *ὑποτύπωσις*: cf. Sext. Emp. Hypot. I, 206. 222.

menti, praesertim cum et Theodosius eum, qui inscribebatur *κεφάλαιον* sive *κεφάλαια* (Suid.) commentariis illustraverit. Theodam denique Menodoto majorem natu fuisse jam inde conjicitur, quod non successit neque Antiocho neque Menodoto, quare eum partim Antiocho partim Menodoto aequalem fuisse diximus. Menodotum vero jam ante annum centesimum quinquagesimum fuisse neque ultra eum annum vitam protulisse, jam supra[1]) est demonstratum magisque confirmabitur iis, quae dicemus de aetate Herodoti.

Cap. XXVIII.

Menodoti namque discipulus fuit Herodotus Tarsensis, Ariei[2]) filius. Hunc Diogenes quidem nusquam amplius commemorat, saepius autem Galenus[3]), qui quidem eum omnibus fere locis ita impugnat, ut illum Scepticae rationi fuisse addictum facile cognoscas. Herodotum enim dicit[4]) omnibus rebus et acerbissimis et lenissimis sine ullo discrimine vim astringendi tribuere, quasi in eo posita sit victoria, ut quibusdam fallere sensus persuadeat; deinde illum et Dioscuridem rejecta omnino sensuum fide omnia evertere atque commiscere, quae sensibus possint disquiri

---

II, 79. 185. 194. III, 1. 167. 279, adv. Log. II, 99. 159. Phys. I, 206. Astrol. 23. Mus. 6. Phot. l. c.: *ὡς τύπῳ καὶ κεφαλαιωδῶς.*

[1]) cf. c. III.

[2]) Hic Arieus idem videtur esse atque ille Arius Tarsensis, cujus medicamentorum temperamentum exhibet Galenus: de compos. medic. secundum loc. III. (XII, 636).

[3]) cf. supra pag. 8. adn. 2.

[4]) De simpl. medic. temp. et fac. I, 34 (XI, p. 442): *Ἡρόδοτος μὲν συνέχεεν εἰς ταὐτὸν ἅπαντα, καὶ τὰ δριμύτατα ταῖς δυνάμεσι, καὶ τὰ ἄκρως διαβρωτικὰ καὶ τὰ μαλακώτατα καὶ τὰ προσηνέστατα πάντα στύφειν ἔφησεν, ὡς ἐν τῷ καταψεύσασθαί τισι τῆς αἰσθήσεως τὸ (?) τοῦ νικᾶν ὑπάρχοντος.*

et discerni, eaque remittere ad pravam rationem[1]). Itaque eo pluris aestimandos esse sensus, quo plura in eos comminiscantur sophistae. Haec quoque exstant apud Galenum: ut quis possit via ac ratione conficere temperamentum, incipiendum esse ab experientia atque multa observanda, ne implicetur infinitis quaestionibus more eorum, qui iis de rebus inquirentes sua ipsorum manu male concidant in plurimis, quae et quaerant et scribant, in quorum numero esse Herodotum[2]). Neque enim sufficere, nosse quaedam communia et universa (*τὸ καθόλου*), sed singula quaeque esse investiganda atque perquirenda? Quae si contuleris et cum iis, quae disserit Sextus Hypot. I, 236 ss.[3]), et quae dicit Celsus[4]) de medicis methodicis, nullo negotio jam Herodotum aliquantulum recessisse a sincera medicorum empiricorum ratione atque hac in re quoque Sexto praebuisse exemplum intelleges. Neque tamen penitus defecit ab empiricorum secta[5]). Hoc quoque tradit Galenus[6]), Herodotum rejecisse reliquas omnes sectas praeter illam, quam vocant „pneumaticam". Quare ipsum nullam certam medicorum

---

[1]) l. c. c. 36 (XI, 443): *Ἡρόδοτος καὶ Διοσκουρίδης . . . καταφρονήσαντες γὰρ ἅπαξ τῆς αἰσθήσεως ἀνέτρεψαν ἅπαντα καὶ συνέχεαν, ἃ σαφῶς ἐστιν αἰσθήσει διαγνῶναι, ταῦτα μοχθηρῷ λόγῳ πιστούμενοι.*

[2]) l. c. c. 27 (XI, 430): . . . . . *ᾧ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις τῶν τὰ τοιαῦτα ζητησάντων, ὁρῶν περιπίπτοντας αὐτοὺς ἑαυτῶν χερσὶν ἐν τοῖς πλείστοις, οἷς ζητοῦσι καὶ γράφουσι, ὥσπερ Ἡρόδοτος.*

[3]) Iis locis Sceptico philosopho magis convenire dicit sequi medicorum methodicorum rationem quam empiricorum.

[4]) Medic. lib. l. prooem: Et quidam medici saeculi nostri, sub auctore, ut ipsi videri volunt, Themisone, contendunt, nullius caussae notitiam quidquam ad curationes pertinere, satisque esse, quaedam communia morborum intueri . . . .

[5]) cf. Pseudogalen. Isagog. c. 1 (XIX, p. 675), ubi inter empiricos recensetur.

[6]) l. c. c. 29 (XI, 432): *Ἡρόδοτος μὲν ἁπάσας τὰς ἄλλας αἱρέσεις μοχθηρὰς ὑπολαμβάνων πλὴν τῆς πνευματικῆς.*

sectam esse professum, sed hac in re quoque Sceptica ratione usum nescio an liceat conjicere. Libros autem eum scripsisse cum reliquis Galeni locis[1]) tum illo: De aliment. fac. I, 13 (VI, 516) constat, ubi cujusdam libri altera pars nominatur[2]); qui libri omnes interciderunt[3]). Aetatem denique Herodoti ita definiendam esse censemus, ut dicamus eum Galeno magna ex parte fuisse aequalem. Primum enim Galenus ipse fatetur, se Hicesii temperamentum accepisse ab Herodoto[4]); deinde Rufus quidem Ephesius, qui fuit tempore Trajani, et Sabinus et Artemidorus Capito et Numesianus in recentiorum Hippocratis interpretum numero referuntur[5]), Dioscurides autem et Artimidorus Capito nuperrime in illius libros commentarios scripsisse dicuntur[6]). Itaque cum Herodotus conjungatur cum Dioscuride[7]), recte conjicimus, juniorem fuisse et Rufo Dioscuridem et Dioscuride Herodotum. Galenus denique in iis demum libris, quos scripsit aetate jam provectior, Herodoti mentionem facit. His igitur caussis adducti Herodotum fuisse statuimus ab anno circiter centesimo quinquagesimo usque ad annum centesimum octogesimum p. Chr., majorem natu Galeno eique magna ex parte aequalem. Herodotum vero excepit Sextus Empiricus, cujus aetas ab anno circiter centesimo octogesimo usque ad annum ducentesimum decimum terminatur. Qui

[1]) cf. l. c. c. 27 (XI. 430).

[2]) *Ἡρόδοτος ἐν τῇ δευτέρᾳ κατὰ τήνδε τὴν λέξιν.*

[3]) Fragm. in C. F. Matthaei Medicorum XXI. vett. opusc. et C. G. Kühn. Additam. ad elench. med. Spec. II. III. XXVIII,

[4]) De comp. medic. per gen. c. 3 (XIII, 788. 789): *ταύτην τὴν γραφὴν παρέλαβον παρὰ Ἡροδότου.*

[5]) Galen. in Hipp. de humor. I, 24 (XVI, 196).

[6]) Galen. in Hipp. de med. offic. 1 (XVIII, b. 631): *χθὲς καὶ πρώην,* quod quin ad literam intellegamus nihil caussae est.

[7]) Galen. De simpl. medic. temp. et fac. I, c. 36 (XI, 443): *Ἡρόδοτος καὶ Διοσκουρίδης καταφρονήσαντες κτλ.*

cum nobis unicus fere sit auctor Scepticae doctrinae, accuratiora atque ampliora de illo alias disseremus. Extremus denique Scepticorum recentiorum nominatur Saturninus Cythenas, medicus empiricus, de quo praeter artem quam exercebat nihil est exploratum, ne illud quidem, quid velit ejus cognomen[1]).

Cap. XXIX.

Praeter eos Scepticos philosophos, de quibus adhuc disseruimus, memorantur a Diogene Laërtio: Agrippa[2]), cui tribuendi sunt illi quinque dubitandi modi, quos Sextus Empiricus recentiorum Scepticorum esse dicit; Apellas[3]), cujus nominatur liber, qui inscribebatur Agrippa; Theodosius[4]), qui in capitulis suis Scepticis Scepticorum rationem contendit non esse dicendam Pyrrhoniam ex ipsorum Scepticorum institutis, cum neque quae vera fuisset sententia Pyrrhonis posset cognosci, neque Pyrrho primus invenisset illam philosophandi rationem; licere tantum Pyrrhoniam eam dicere ex similitudine institutorum Scepticorum et Pyrrhonis[5]). Suidas quoque exhibet Theodosium philosophum atque haec tradit de eo: *Θεοδόσιος φιλόσοφος ἔγραψε σφαιρικὰ ἐν βιβλίοις τρισίν, ὑπόμνημα εἰς τὰ Θευδᾶ κεφάλαια, περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν δύο, ὑπόμνημα εἰς τὸ Ἀρχιμήδους ἐφόδιον, διαγραφὰς οἰκιῶν ἐν βιβλίοις γ΄, Σκεπτικὰ κεφάλαια, ἀστρολογικά, περὶ οἰκήσεων.* Quod cum et Strabo nominet Theodosium Bithynium eumque mathematicum cum filiis

[1]) *Κυθηνᾶς* mutare in *Κυδαθηναιεύς* vix licere cum Zellero sentimus. (l. c. V, p. 4, adn. 1).

[2]) IX, 88.

[3]) IX, 106.

[4]) IX, 70.

[5]) cf. Sext. Emp. Hypot. I, 7

suis[1]) et apud Eudociam (p. 229) haec scripta sint: *Θεοδόσιος φιλόσοφος Τριπολίτης· ἔγραψε σφαιρικὰ ἐν βιβλίοις τρισί, διαγραφὰς οἰκιῶν ἐν βιβλίοις τρισίν, ἤτοι περὶ οἰκήσεων, ὑπόμνημα — ἐφόδιον, καὶ δι' ἐπῶν εἰς τὸ ἔαρ καὶ ἕτερα διάφορα*; et Suidas denique ipse alterum exhibeat Theodosium: *Θεοδόσιος, ἔγραψε δὶ ἐπῶν εἰς τὸ ἔαρ καὶ ἕτερα διάφορα· ἦν δὲ Τριπολίτης*, dubium non est, quin confusi sint Theodosius philosophus Scepticus et Theodosius mathematicus. Quare non standum putamus neque a Zellero[2]), qui Theodosium fuisse suspicatur et mathematicum et philosophum, neque a Bernardio[3]), qui ne illud quidem contendit apparere, utri Theodosio conveniant illa *ἦν δὲ Τριπολίτης*, sed ita distinguendum esse censemus Theodosium Bithynium eundemque mathematicum ab Theodosio Tripolitano eodemque Sceptico philosopho, ut illi tribuantur libri mathematici, huic: *ὑπόμνημα εἰς τὰ Θευδᾶ κεφάλαια* et *κεφάλαια Σκεπτικά*[4]), et fortasse carmen in ver (quod Theodosii Tripolitani esse et Suidas testatur). Argumentum vero licet non maximum ad nostram confirmandam sententiam hoc afferimus: Tripolis urbs fuit Lydiae ad Maeandrum sita, non ita longe remota ab urbe Laodicea ad Lycum, qua ex urbe ortus erat Antiochus et nescio an ipse Theodas[5]), philosophi Sceptici. Hoc quidem in dubium non licet vocare, quin fuerit philosophus Scepticus, nomine Theodosius, qui libros non spernendos de Sceptica doctrina conscripsit.

Denique in Scepticorum recentiorum et medicorum empiricorum numero referendus videtur et Dionysius Aegien-

---

[1]) XII, 4. 9. p. 566: *καὶ Θεοδόσιος καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ μαθηματικοί.*

[2]) l. c. V. 6. in adn.

[3]) Ad Suid. verb. *Θεοδόσιος.*

[4]) cf. Diog. IX, 70.

[5]) Hoc eo fit verisimilius, quod Theodas major natu fuisse videtur Menodoto.

sis, cujus ex libro, qui inscribebatur *δικτυακά*, Photius confecit epitomen (Cod. 185). Is enim hoc libro quinquaginta quaestiones, quae ad physiologiam et artem medicam pertinent, ita tractavit, ut in unaquaque binas sententias sibi invicem contrarias inferret[1]).

Cap. XXX.

Favorinus vero, vir ille literatissimus, non in Scepticorum philosophorum numero, sed in Academicorum est ponendus. Qui cum plurimus esset colligendis in rebus praeclare gestis, et ad Scepticam doctrinam delatus est. Neque ideo, quod optime scripsit de Pyrrhoniis, Pyrrhonius sive Scepticus est dicendus, praesertim cum et de aliis philosophorum sectis libros conscripserit[2]); mirum enim non est, si ille quod erat arctissimum vinculum inter Scepticam doctrinam et Academicam, optime scripsit de rationibus Pyrrhoniis. Neque fieri potest, ut Gellii testimonio comprobemus, Favorinum fuisse Scepticum. Gellius enim explicata Scepticorum doctrina, „Supra qua re", inquit[3]), „Favorinus quoque subtilissime argutissimeque decem libros composuit, quos *Πυῤῥωνείων τρόπων* inscribit", quo dicto quae intersint inter Academicos et Pyrrhonios philosophos, adjicit. Unde efficere non licet neque Favorinum voluisse haberi philosophum Pyrrhonium neque hanc differentiam ei fuisse probatam neque denique ea, quae refert Gellius,

---

[1]) cf. Zeller. l. c. V, p. 6. in adn.

[2]) Philostrat. vit. soph. I, 8. 6: *Γνησίους τε ἀποφαινόμεθα* (sc. *λόγους*) *καὶ εὖ ξυγκειμένους .... πολλῷ μᾶλλον τοὺς φιλοσοφουμένους αὐτῷ τῶν λόγων, ὧν ἄριστοι οἱ Πυῤῥώνειοι· τοὺς γὰρ Πυῤῥωνείους ἐφεκτικοὺς ὄντας οὐκ ἀφαιρεῖται καὶ τὸ δικάζειν δύνασθαι.* cf. Suid., ubi plures ejus exhibentur de philosophia libri.

[3]) Noct. Att. XI, c. 5.

ipsum Favorinum pro **sua sententia** esse professum[1]), sed nihil aliud nisi Gellium ea, quae tradit de Pyrrhoniis, compilasse de Favorini libro. Certum ergo et firmum non exstat argumentum, quo quis Favorinum Scepticam amplexatum esse doctrinam possit comprobare, exstant vero antiquitatis testimonia, quibus eum Academiae fuisse addictum apparet. Atque apud Gellium quidem ipsum[2]) Favorinus Sexto Caecilio, „Noli", inquit, „ex me quaerere, quid ego existimem. Scis enim solitum esse me pro disciplina sectae, quam colo, inquirere potius quam decernere". Caecilius autem laudato paulo post Favorino ob Romanarum legum altam notitiam haec adjicit: „Sed quaeso tecum tamen, degrediare paulisper e curriculis istis disputationum vestrarum Academicis." Ex Galeno vero, qui impugnat Favorini docendi rationem[3]), eum fuisse Academicum satis dilucide cognoscitur. Ille enim tradit, Favorinum et optimam duxisse Academicorum docendi rationem[4]) et ipsum eadem usum atque cum reliquis tunc temporis Academicis hanc docendi rationem professum esse, ut disputaret de quaque re in utramque partem, utram vellent eligere discipulorum relinquens arbitrio[5]), id quod ab hominis vere Sceptici

---

[1]) cf. Zeller. l. c. V, p. 52. et adn. 3; p. 53, adn. 1, cui ut assentiamur nobis persuadere non possumus.

[2]) l. c. XX, 1.

[3]) Libro de optima doctrina.

[4]) l. c. c. I. (I, p. 40): *Τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν ἀρίστην εἶναι διδασκαλίαν ὁ Φαβωρῖνός φησιν. ὀνομάζουσι δ' οὕτως οἱ Ἀκαδημιακοί, καθ' ἣν τὴν ἀντικειμένην προσαγορεύουσιν (προσεισάγουσιν?).* l. c. (I, p. 41): *καὶ μέντοι κἀν τῷ μετὰ ταῦτα γραφέντι βιβλίῳ Ἀλκιβιάδῃ* (Zellerus l. c. p. 52, adn. 2. intellegit librum, qui inscribitur Alcibiades) *καὶ ἄλλους τοὺς Ἀκαδημιακοὺς ἐπαινεῖ, προσαγορεύοντας (προσεισάγοντας?) μὲν ἑκατέρῳ (-ους?) τῶν ἀντικειμένων ἀλλήλοις λόγων, ἐπιτρέποντας δὲ τοῖς μαθηταῖς αἱρεῖσθαι τοὺς ἀληθεστέρους.*

[5]) l. c. (I, p. 40): *Οἱ νεώτεροι* (sc. *Ἀκαδημιακοί*) *δέ, οὐ γὰρ μόνος ὁ Φαβωρῖνος, ἐνίοτε μὲν εἰς τοσοῦτον προάγουσι τὴν ἐποχήν,*

mente prorsus erat alienum. Composuit quoque Favorinus tres libros, quos inscripsit *περὶ τῆς καταληπτικῆς φαντασίας* iisque hanc judicandi regulam a Stoicis laudatam impugnavit[1]). Quod si igitur Galenus Favorinum secum ipsum dissidere atque in ridiculi crimen incurrere dicit, quippe cum in libro, qui inscribitur Plutarchus sive de constitutione Academica[2]), aliquid certo posse cognosci concesserit, in altero vero sibi verisimile videri confiteatur, nihil posse comprehendi[3]), satis apparet, **Favorinum exemplum secutum esse Philonis Larissaei Academici**, qui **natura** sua omnia posse docuit **comprehendi**, neque vero Stoicorum cognitionis nota [sc. *τῇ καταληπτικῇ φαντασίᾳ*][4]). Qua in re hoc quoque probe est animadvertendum, Favorinum, si revera probabat illud, differre eo Pyrrhonios ab Academicis, quod hi quasi sectae placitum profiterentur, nihil posse comprehendi, illi vero hoc quoque vocarent in dubium, certo non **ab Pyrrhoniis stetisse, sed ab**

ὡς μηδὲ τὸν ἥλιον ὁμολογεῖν εἶναι καταληπτόν· ἐνίοτε δὲ εἰς τοσοῦτον τὴν γνῶσιν, ὡς καὶ τοῖς μαθηταῖς ἐπιτρέπειν αὐτήν.

[1]) l. c. (I, p. 42): *Ὡς δὲ καὶ τρία βιβλία γράψας . . . . . ἅπαντα περὶ τῆς καταληπτικῆς φαντασίας ἐπέγραψεν. καὶ καθ' ὅλα γε αὐτὰ γενναίως ἀγωνίζεται, πειρώμενος ἐπιδεικνύναι τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν ἀνύπαρκτον.*

[2]) l. c. (I, p. 41): *Ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀκαδημιακῆς διαθέσεως, ὃ Πλούταρχος ἐπιγέγραπται.*

[3]) l. c. (I, 41): *Ἐν τούτῳ μὲν εἴρηκε, πιθανὸν ἑαυτῷ φαίνεσθαι, μηδὲν εἶναι καταληπτόν. ἐν δὲ τῷ Πλουτάρχῳ συγχωρεῖν ἔοικεν, εἶναί τι βεβαίως γνωστόν.* cf. l. c. c. 5 (I, p. 51). l. c. (I, p. 52): *οὐχ ὡς ὁ θαυμαστὸς Φαβωρῖνος, ἓν ὅλον γράψας βιβλίον, ἐν ᾧ δείκνυσι μηδὲ τὸν ἥλιον εἶναι καταληπτόν, ὡς ἐπιλήσμοσιν ἡμῖν ἑτέρωθι διαλέγεται, συγχωρεῖ τέ τι βεβαίως εἶναι γνωστὸν καὶ τοῦτ' ἐπιτρέπων αἱρεῖσθαι τοῖς μαθηταῖς.*

[4]) Sext. Emp. Hypot. I, 235: *Οἱ δὲ περὶ Φίλωνά φασιν ὅσον μὲν ἐπὶ τῷ Στωϊκῷ κριτηρίῳ, τουτέστι τῇ καταληπτικῇ φαντασίᾳ, ἀκατάληπτα εἶναι τὰ πράγματα, ὅσον δὲ ἐπὶ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων αὐτῶν καταληπτά.*

Academicis, quippe cum verisimile nihil posse comprehendi sibi videri diceret, id quod placitum erat Academicorum, minime vero unquam Pyrrhoniorum. Quare non sentiendum putamus[1]), Favorinum quasi ancipitem haesisse inter scepsim Pyrrhoniam et Academicam, sed illum esse in Academicorum numero ponendum, id quod jam Galenum fecisse satis demonstravimus[2]).

Cap. XXXI.

Jam vero priusquam aggrediamur ad aetatem Scepticorum recentiorum definiendam, aliud nobis est considerandum. Si enim ex recentioribus Scepticis eos, quorum nomina exstant in Diogenis serie, cum illis contuleris, quorum nomina ibidem desiderantur, probe intellegas, exceptis Menodoto et Sexto, eos qui sunt omissi multo majoris esse ponderis. Agrippa enim auctor est quinque modorum, quibus passim utuntur Sceptici recentiores iisque maxime differunt ab antiquioribus; Apellas deinde librum composuit de ipso Agrippa; Theodosius denique duos scripsit libros, quibus res Scepticas accuratissime eum tractasse jam ex iis apparet, quae refert Diogenes. Nihilo tamen secius hi desiderantur, cum nominetur Theodas, qui ne ipse quidem scholae tenuit principatum. Quam difficultatem si quis ita diluendam putaverit, ut Theodam scholae praefuisse dicat[3]), Agrippam non item, cum ipsi repugnat Diogeni, tum evitat, non diluit difficultatem. Quid enim? Putasne fieri potuisse, ut Agrippa, recentiorum Scepticorum quasi parens,

[1]) cf. Zeller. l. c. V, p. 50—54 (imprimis p. 52); Brandis. l. c. II, p. 234.

[2]) Suidas praedicat de Favorino: *φιλοσοφίας μεστός, ῥητορικῇ δὲ μᾶλλον ἐπιθέμενος.* Favorini similis fuisse videtur Licinius Sura, ad quem Plinius duas dedit epistolas (IV, 30 et VII, 27).

[3]) Zeller. l. c. V, pag. 5, adn. 3. Brandis. l. c. II, p. 208.

scholae principatum non teneret? Neque vero omnino deest ratio, qua quomodo res se habeat possit explicari. Ex iis enim, quorum nomina exstant in Diogenis serie, medicos fuisse empiricos Zeuxidem Menodotum Theodam Herodotum Sextum Saturninum pro certo constat; unde licere putamus conjicere, et Zeuxippum et Antiochum in eo referendos esse numero. Itaque Diogenis serie continentur non tam ii Sceptici philosophi, quibus in Scepticorum recentiorum ordine potior locus est tribuendus, quam illi, qui iidem medici fuerunt empirici. Quod si statuerimus, quamobrem Theodas ea in serie locum obtineat, optime intellegemus: fuit scilicet praecipuus inter medicos empiricos[1]). Hoc quoque dicere ineptum non esse censemus, Zeuxippum, praesertim qui alioquin penitus sit ignotus, magis arti medicae quam Scepticae philosophiae operam navasse atque in illa magistrum fuisse Zeuxidis[2]). Quod si concesseris, nihil obstat, quin Zeuxippum jam Senecae fuisse aetate arbitremur.

Cap. XXXII.

His explicatis jam aditus nobis patet ad tempus, quo fuerint singuli Scepticorum recentiorum, quoad ejus fieri potest, definiendum. Ex nostra autem ratione[3]) Menodotum ante annum centesimum quinquagesimum p. Chr. fuisse cum sit statuendum, fuisse contendimus Zeuxippum et Zeuxidem altera parte primi p. Chr. saeculi, Antiochum et Menodotum priore parte saeculi

[1]) Galen. Therap. meth. II, 7; de libr. propr. c. 9.

[2]) Zeuxippus quin minime dicendus sit recentiorum Scepticorum quasi parens, nequaquam est dubium.

[3]) cf. c. III.

secundi[1]), Herodotum[2]) et Sextum ejusdem saeculi altera parte, ita quidem, ut protulerit aliquantulum Sextus vitam ultra saeculum secundum, Saturninum denique ineunte saeculo tertio.

In reliquorum vero aetate Scepticorum recentiorum definienda una in re nititur nostra ratio. Cum enim in promptu sit demonstrare, Diogenem Laërtium suam rerum Scepticarum notitiam non hausisse ex Sexti libris[3]), eum ne superiorum quidem Scepticorum libros adiisse, sed fonte commodiore usum atque libros Dioclis et Favorini compilasse recte contendit Nietzschius[4]), praesertim cum ipse Favorini mentionem faciat[5]) neque alium quemquam praeter illum in rebus Scepticorum recentiorum scribendis versatum esse constet. Omnem itaque recentiorum Scepticorum notitiam Diogenem debere Favorino atque eos, de quibus plus quam nomen exstat apud illum[6]), ante Favorinum fuisse in promptu est conjicere. Id nostra quoque confirmatur Menodoti aetatis computatione. Eum enim Favorino majorem natu fuisse intellegemus, cum quando hic fuerit statuerimus. Unde fit, ut Diogenes altiorem quamdam Menodoti notitiam prodat[7]), Herodoti autem solum nomen exhibeat.

Atque Favorinum certe ultra annum centesimum quinquagesimum p. Chr. vitam protulisse, certis atque

---

[1]) Qua re adductus Zellerus statuat (l. c. IV, p. 441, adn. 1), Menodotum fuisse altera secundi p. Chr. saeculi parte, non intellegimus.

[2]) cf. c. XXVIII.

[3]) Diogenes enim exhibet quaedam, quae desunt apud Sextum: cf. IX, 7. Sext. Hypot. I, 7; IX, 88. Sext. l. c. 164. Quae Diog. IX, 87 de Sexto dicit, in vitio sunt. Quae Sextus negat (Hypot. I, 210. 213. 214. 220), affirmat Diogenes (IX, 72. 73) etc.

[4]) cf. Mus. Rhen. nov. XXIII, p. 632. ss.

[5]) IX, 87.

[6]) Sexti mentio IX, 87 nostrae non obstat sententiae, cujus rei caussam jam attulimus.

[7]) cf. IX, 115.

magnis argumentis potest comprobari[1]). Gellius enim, qui fuit ab anno circiter centesimo vicesimo quinto usque ad annum centesimum septuagesimum quintum p. Chr.[2]), haec praedicat de se ipso[3]): „Cum Favorino Romae dies plerumque totos eramus, tenebatque animos nostros homo ille fandi dulcissimus, atque eum, quoquo iret, quasi ex lingua prorsum ejus capti prosequebamur;“ quod cum Gellius aetatis annum agens sextum decimum vel duodevicesimum alios audivisset ante Favorinum magistros[4]), ante annum centesimum quadragesimum primum fieri non potuit. Majoris vero momenti illud est Gellii[5]): „Favorinus cum ad M. Frontonem consularem pedibus aegrum visum iret, voluit me quoque ad eum secum ire.“ Cum enim M. Cornelius Fronto fuerit ab anno circiter nonagesimo usque ad annum centesimum duodeseptuagesimum p. Chr. atque anno centesimo quadragesimo tertio munus consulare obierit[6]), quod narrat Gellius, id ante annum centesimum quadragesimum quartum factum esse, nemo est qui sibi persuadeat. Denique Favorinus ejusdem fere aetatis fuit ac Polemo[7]), qui plus quam quinquaginta annos

---

[1]) Ueberwegius dicit nescio quo pacto, Gellium fuisse a. 150. (l. c. I, p. 20), et Favorinum, illius praeceptorem a. 155. (l. c. p. 232). Zellerum (V, p. 50, adn. 1.) male statuere, Favorinum aut nihil aut paululum Hadriani fuisse superstitem, nostris evincetur argumentis. Neque Suidae accuratum est testimonium: *γεγονὼς ἐπὶ Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος καὶ παρατείνας μέχρι τῶν Ἁδριανοῦ χρόνων τοῦ βασιλέως.*

[2]) cf. Teuffel. Hist. lit. lat. n. 361.

[3]) XVI, 3. 1.

[4]) VI, 6. 12. XVIII, 4. 1. XX, 6. 1; 15.

[5]) II, 26. 1.

[6]) cf. Teuffel. l. c. n. 351.

[7]) Hoc indicat Philostratus (I, 8), qui refert acrem exarsisse altercationem inter Polemonem et Favorinum atque haec de utroque adjicit: *Συγγνωστοὶ μὲν οὖν τῆς φιλοτιμίας, τῆς ἀνθρωπείας φύσεως τὸ φιλότιμον ἀγήρω ἡγουμένης, μεμπτέοι δὲ τῶν λόγων, οὓς ἐπ' ἀλλήλοις ξυνέθεσαν.*

natus anno circiter centesimo quadragesimo voluntaria morte decessit[1]). Quare Favorinum ultra annum centesimum quinquagesimum p. Chr. vitam protulisse quin statuamus, nihil jam obstare censemus.

Hoc ergo dicendum, omnes illos Scepticos recentiores, qui non exstant in Diogenis serie, fuisse ante annum centesimum quinquagesimum, cum Diogenes eorum altiorem quamdam exhibeat notitiam. Cum autem jam tunc temporis conscriptus esset ab Apella liber de Agrippa, hic quin certe exeunte saeculo primo et ineunte saeculo secundo fuerit[2]) et post ipsum Apellas, minime est dubium, praesertim cum Diogenes[3]) in enumerandis Zeuxide Antiocho Apella temporum ordinem servare videatur. Quare conjicimus, Apellam proximum fuisse aetati Antiochi vel etiam ex parte ipsi aequalem. Theodosii vero aetas nescio an hunc in modum sit definienda: Ipse cum scripserit commentarios in Theodae capitula, et eorum notitiam Diogenes perceperit ex Favorini libro, post Theodam ipsum fuisse et illos commentarios, antequam Favorinus librum componeret confecisse, non licet negare. Quare dicendum putamus, Theodam non ita multo post Antiochum e vita decessisse atque Theodosium

---

[1]) cf. Philost. I, 25. Suid. verb. *Πολέμων* 3.

[2]) Ueberwegius (l. c. I, p. 232) dicit, Agrippam quinto loco successisse Aenesidemo, innixus, ut videtur, illo loco ap. Diog. IX, 106, ubi Zeuxis Antiochus Apellas *ἐν τῷ Ἀγρίππᾳ* nominantur et placitum quoddam eorum (*τιθέασι τὰ φαινόμενα*) refertur. Cum autem Zeuxidi antecesserit Zeuxippus, si nomina numeraveris, sane quidem nomen Agrippa quinto loco occurret. At primum Diogenes non qui se deinceps exceperint vult indicare; deinde, si hoc voluisset, haec series alteri esset contraria; denique jam discimus usu dicendi, *ἐν τῷ Ἀγρίππᾳ* non significare apud Agrippam, sed librum, qui inscribitur Agrippa (cf. Diog. IX, 25: *ἐν τῷ Παρμενίδῃ*; Sext. Emp. adv. Rhet. 2: *ἐν τῷ Γοργίᾳ*; adv. Log. I, 116: *ἐν τῷ Τιμαίῳ*; cf. Diog. VI, 22 etc.)

[3]) IX, 106.

Menodoto fuisse aequalem[1]). Sed his in rebus, cum omnino desint certa antiquitatis testimonia, difficillimum est certi quidquam statuere. Hoc equidem constat Galeni testimonio, priore secundi p. Chr. saeculi parte maxima cepisse doctrinam Pyrrhoniam incrementa[2]). Idem denique licet animadvertere in recentioribus Scepticis quod in antiquioribus, nascentes quidem illos plures habuisse discipulos, eos vero brevi esse minutos atque ad exiguum numerum redactos.

Multi quidem medici, imprimis empirici, Galeni tempore usi esse videntur Sceptica ratione. Ipsa vero successio Scepticorum paulo post Sextum Empiricum, fortasse jam post ipsum Saturninum exstincta est. Et reliquorum philosophorum Scepticorum libros praeter Sexti Empirici brevi oblivione obrutos esse inde apparet, quod Gregorius Nazianzenus, Agathias, Georgius Cedrenus[3]) Scepticorum quasi principes atque auctores et scholae et doctrinae nominant Pyrrhonem et Sextum. Hoc quoque cognoscitur ex Gregorio Nazianzeno, Scepticorum dubitandi rationem tunc temporis non penitus fuisse ejectam, licet scholae vel successionis nullum inveniatur vestigium.

Ad hanc vero nostram disputationem cum aggressi sumus sine ullis certis destinatisque sententiis, tum in

---

[1]) cf. c. XXVII.

[2]) Galen. de libr. propr. c. 11 (XIX, 40): *Καὶ νὴ τοὺς θεούς, ὅσον ἐπὶ τοῖς διδασκάλοις εἰς τὴν τῶν Πυῤῥωνείων ἀπορίαν ἐνεπεπτώκειν ἂν καὶ αὐτός, εἰ μὴ καὶ τὰ κατὰ γεωμετρίαν ἀριθμητικήν τε καὶ λογιστικὴν κατέχων, ἐν αἷς ἐπὶ πλεῖστον ὑπὸ τῷ πατρὶ παιδευόμενος ἐξ ἀρχῆς προεληλύθειν.*

[3]) Gregor. Naz. orat. 21. in Athan. p. 380; carm. ad Episc. v. 303. Agath. Hist. lib. 2. p. 64. Georg. Cedr. Compend. hist. p. 133.

ipsa persequenda sine omni ira et studio nunquam non id nitebamur, ut etiam in re proposita quam proxime accederemus ad verum. Nos quidem ipsi non ignoramus, eas esse res, quas tractavimus, quae vix unquam tanta luce possint illustrari, ut omnis tollatur et difficultas et dubitatio. Eo magis hanc nostram disputationem, cum subjecta erit doctorum judicio, benignos ac mites inventuram esse speramus existimatores. Quam vero defendimus sententiam, ei summa accedet commendatio, si forte nobis contigerit, de illorum scriptorum, qui versati sunt in rebus Scepticis, imprimis Aristoclis, auctoribus certi aliquid eruere.

I. Tabella
Philosophorum Scepticorum
ex temporum ratione composita.

I. Sceptici antiquiores.

II. Sceptici recentiores.

II. Index illorum Scepticorum,

quos libros scripsisse constat vel ipsis librorum titulis servatis vel aliis scriptorum antiquorum testimoniis.

I. Scepticorum antiquiorum.

II. Scepticorum recentiorum.

De Sexti Empirici libris alias disseremus.